DISCURSUS DE APPELLATIONE, CITATIONE ET COMPULSIONE AD JUDICIUM...

Johann Hering




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
26 K
30

DISCURSUS DE

APPELLATIONE, CITATIONE ET COMPULSIONE AD JUDICIUM DEI IN VALLE JOSAPHAT, GERM.

von Beruff, vnd ladung vor Gottes gericht ins thal Josaphat,

EX

Sacris & profanis tam veterum, quam recentiorum Theologorum, Jurisconsultorum, Politicorum & Historicorum monumentis collectus, illustratusq; per

JOH. HERINGIUM,

A. F. & Archiep. Capit. Brem. p. t. Syndicum.









BREMÆ venalis apud Georg. Mertens, typisque Villerianis excusus, anno liberationis evangelicæ M DC XXXII.



Illust.[sso] *Rever.*[sso] *& Celsis.*[mo]

Principi ac Domino,

DN. FRIDERICO,

HEREDI NORWEGIÆ,

EPISCOPO VERDENSI,

COADJUTORI ARCHIEPIS. BREMEN.

DUCI SCHLESVV. HOLSAT. STORM. AC DIT-MAR. COMITI IN OLDENB. ET DELMENH.

Domino suo clementissimo,

Salutem & Cultum.

PHilo Judæus Philosophus, Platonicæque eloquentiæ diligens imitator & ad Tiberiũ vel ejus successorem Caligulam (variãt namque authores; & qualis sub hisce Principibus ecclesiæ, reique publicæ status fuerit, historici addocent) legatus, rectè ac piè dixit: *Ubi desinit consilium & auxilium humanum, ibi incipit divinum.* (a) Utrumq; experimur omnes, in quocunque vitæ genere & quovis

* 2 tem-

(a) *apud Luther. in præf. super lib. sapient. Chemnit. in harmon. evang. cap. [illegible] p. 150.*

tempore constituti simus. Quoties e-
nim *Aulici* retia prætendunt, ac in di-
scrimẽ vitæ, honoris, famæ, bonorum-
que nos ducunt: quoties in *Foro* seu *Cu-
ria* iniquos judices aut potentiores ad-
versarios habemus: quoties sub eodem
Tecto vel in *Lecto* & *Mensa* domesticos
infidos aut foris sanguine junctos vel
vicinos pessimos experimur: quoties
in *Itinere* insidiatores vel latrones ad-
sunt, & aperta damna periculaque alia
ibi incurrimus: quoties totius *Ecclesiæ*,
Scholæ & Reipublicæ hostes ac persequu-
tores infensissimi advolant & in visce-
ra earum sæviunt: tandem quoties in
hac miseriarum valle & calle *res omnis*
conclamata videtur, ut nullo humano
ingenio ac viribus mala ista publica
privataq; sint avertẽda aut mitiganda;
toties ad DEUM & Ejus filium, velut tu-
tissimum asylum recurrimus, ab eoque
solatium, subsidium ac liberationem
consequuntur non tantùm singuli &
privati: sed ipsi rerum hominumque
moderatores, & cum hisce totus Po-
pulus.

Id

Id præsenti seculo elucescit. Princeps & Episcope dignissime; ubi nulla ferè natio in Europa remansit, quę non per aliquot annos *Bello sacro aut profano* implicata, & subditi tam quoad animum quàm corpus & bona hactenus infinitas sustinuerunt injurias, damna, carceres, tormenta & sæpè mortem naturalem vel civilem: imò ubi non gregarii Milites viris Principibus, nec non Civitatum Oppidorumq; rectoribus, nedum aliis, ad scandalum & miraculum usque insultarunt, quandoque etiam illos è propria ab avita que terra ac domo expulerunt? Quis nostrum hodiè talia & longè plura nō vidit vel audivit; quisve eadem majorum & nostris *Peccatis* ac insequutæ *Iræ divinæ* nō tribuit: sed è contrario quis Dominū Exercituum, omnibus *Pœnitentiam* seriò agentibus & *Preces* ardenter constāterq; fundentibus ac *Patientiâ* suum Christianismum conprobantibus, subinde prętò non sensit consolatorem, judicē ac vindicem potētissimum? (*b*)

(b) *Habac.* 1.2.3.4. *Syrac. & Ezech.* 26. *Dan.* 9. *Psal.* 74.79.76.80.83. *Baruch.* 6, *item* 1. *Maccab.* 1.2.3. *juncto Eccles. Salom.* 4. *v.* 1.

ut jure-merito exclamare possimus: ô Jesu, in quę tempora nos reservasti; sed à quibus vicissim malis, si non in totum liberasti, attamen sub eorum pondere varia levamina dedisti! *Mundus quippe in finem suum vergens, spatiis agitur extremis, postremaque ejus ætas referta est, tamquam morbis senectus. Visa sunt sanè, videnturque jamdudum hoc cano seculo Fames, Pestilentia, Vastitas, Bella, Terrores. Hi sunt in ultimis jam annis languores sui. Hinc quoq; illa cæli cernuntur Signa, motusq; Terrarum, permutatæ Tempestatum vices, monstrosæ Animantium fœcunditates: quæ omnia procedentis adhuc prodigia sunt temporis, sed jam deficientis. Atque hoc non infirmitatis nostræ verbis, sed etiam Apostolicæ authoritatis confirmatur eloquiis. Illic enim legitur: In nos fines seculorum devenerunt &c.* Velut Eucherius alicubi ad Valerianum scribsit. Idcircò

Verba docent & Signa monent & Pœna probabit,
Ni subitò in melius vitam convertimus, Actum est.

Et vereor ego, ne verum evadat illud

ab alio (c) jamdudum sub Friderico III. de Romano-Germanici imperii exitu prædictum, hisce verbis: *Tanta tunc erit humanæ miseriæ calamitas, tantaq; in universo mundo persecutionis procella sævitura est, quod nisi dies hujusmodi tribulationũ, Matthæo & Marco testibus, fuissent abbreviati, non fieret salva omnis caro. Hoc itaque turbulento tempore consummabitur terrena Monarchia gentium, emigrabit Gloria & maximum triumphantissimumq; Imperium, quod tot mira terra mariq; gesta per sui decursus tempora consummavit, finem sãtæ diuturnitatis accipiet.* Deus verò, qui dat & firmat, iterumq; adimit vel trãsfert regna, (d) hæc secundũ suum gubernet beneplacitum: & verbis quidẽ ethnici poëtæ, sed sensu Christiano,

Dii prohibete minas! Dii talem avertite casum,
Et placidi servate pios. (e)

Intereà ego hujus ultimæ tragœdiæ nudus spectator non existens: sed varia

4 quo-

(c) *Pet. de Andlo lib. 2. de Rom. Imp. c. 20. ibiq; Marq. Freher. in notis.* (d) *Daniel. cap. 2. v. 21. c. 4. v. 14. & 17. c. 5. v. 21. Syrac. 10. v. 8. Proverb. 8. v. 15. Esai. 37. v. 16. & 4. Reg. 19. v. 15. Eccles. 48. v. 6. & 2. Sapient. c. 6.* (e) *Virgil. 3. Æneid.*

quoque damna, pericula, curas & molestias simul perpessus, mihi ipsi & cæteris in hisce angustiis publicis privatisque deesse nolui. Quocirca horis subcisivis & media inter arma selegi materiam, præsenti seculo satis aptam: scilicet quid sacra profanaq; antiquitas, cum ævo nobis proximo, hactenus statuerit & ad usum transtulerit, quando aliquis in extremis constitutus & ab omni ope humana destitutus *ad summum judicem Deum* & quidem *in vallem Iosaphati* provocat, eoque adversarium suum citat? Feci istud initio privatum ad usum: sed postea suasu amicorum & communi quasi solamine motus, hoc quidquid est rei, publicam nũc in lucem emisi; stylo simplici & animo candido.

Causas autem *inscribtionis* habui varias. Præter illas, quæ vel generales & communes sunt, vel quas boni omnes secum retinent ac reticent, hæ sunt: quod eruditi suos libros non nisi magnis Principibus ac Dominis dedicare debeant: (f) inprimis verò quod Il-

lust.

(f) *Zas. in l. 2. § postea cum Appius num. 5. fol. 12. D. de orig. jur. Mel. Adam. in vit. doct. in Germ. vol. 1. p. 159.*

lust. ac Rev. V. Cels. ipsamet sit literatissima & doctorum fautrix: tum hujus archiepiscopatûs Coadjutor & futurus Præsul existat, ad quem (ipsius Nominis tam proprii, quam Officii ductu, & exemplo Dei (g) qui dicitur Coadjutor in oportunitate ac tribulatione) maximè spectat, pacem quærere & colere, oppressisque ferre suppetias, id cõsilio vel auxilio vel utroq; simul fiat: tum quod ego prædictæ regionis Statui præcipuo, nempe Capitulo, in tertium usque annum & perturbatissimo hôc tempore Syndici officia exhibuerim: nuper autem ab illustri & generosissimo Comite Oldenburgico in Consiliariorum numerum, & patris cognatiq; locum, legitimè quidem, sed inopinatò allectus fuerim; quod novum dedicationis parit argumentum, dum ad talem V. Cels. agnatum vocatus, è cujus domo antiquissima, simulque inclyta, suum unà trahit titulum ac stemma; uterq; autem Vestrûm ob heroicas virtutes peregrinorum, nedum subditorum excitat favorem

(g) Psal. 9. v. 10.

&ad-

& admirationem; sicque ego multiplici ratione eò magis addictus devotusque existam. Suscipe igitur, illustrissime Princeps & Episcope reverendissime, clientis tui meditationes, humilimâ mente ac manu eminus (utinã suo loco & tempore id cominus cotãque fieret!) porrectas, nec libelli exilitatem respice, quem materiæ dignitas adauget, quemve majora & fortassis meliora excipient opera, si Mæcenates adfuerint & benigniora Musis secula redierint. Vale, cum tota familia gloriosissima, & me meosque commendatos habe. Dabam Bremæ, ipso die Conversionis Paulinæ, qui est d. 25. Januar. A. C. 1632. quem illud exhibet:

sIs probVs, JVDICIVM
totIVs orbIs approplnqVat.

Illust. & Rev. V. Cels.

submissè colens

JOH. HERINGIUS.

AD LECTOREM

BENEVOLUM.

Diu silui, Lector peramande, nec publici juris plura feci. Sponsorem me quidem relictum memini in tractatu meo *de jure Molendinorum* & auctario *ad Ant. Garronis comment. super tit. D. de orig. jur.* sed motus bellici, tam concatenati & diuturni; tum negotia privata & publica; nec non quorundam invidia & sinistra censura; proinde illorum, qui rei librariæ curam gerunt & præcipuum lucrum capiunt, tenacitas; denique præmiorum pro laboribus debitorum raritas, mihi remoras injecerunt haut exiguas. Successu tamen temporis hæc omnia sunt superanda. Præmitto itaque unum alterumve discursum, horis subcisivis ex theologorum, jurisperitorum & philosophorum scribtis concinnatos; quorum unus est, quem nunc exhibeo, de solenni ista & mysterii plena *Adpellatione seu citatione ad tribunal divinum, & quidem in Valle Josaphat*: alter est, qui simul prodit, *de dolosi & voluntarii Homicidii atrocitate*, velut præsenti ævo admodum necessariâ doctrinâ & Mosis

ex

ex pentateucho petita. Qui enim talia ad nostrum non spectarent forum, tam respectu scribtoris, qui legislator fuit; quàm materiæ, quæ de primo fratricidio concepta? Nuda crudaque tamen juridica non adhibui: sed tam hac vice quàm antea & in posterum, ut liberale ingenium decet & instar apum per diversorum auctorum flores perrepere visum fuit; nec tale genus studii mihi cæterisque in re publica & privata exstitit inutile aut impedimento. Tu has meditationes hilari fronte cape & plura majoraque exspecta; inter quæ habeo *Prodromum Observationum Theoretico-practicarum*, itemque peculiarem tractatum de *Juribus Burgorum sive Castrorum, nec non Ganerbinatuum seu arcium communium, simulque Civitatum, Oppidorum, Pagorum & Villarum*, Germ. **von Burg, oder Vestung, Ganerben, Stadt- und Dorffrechten.** *Quantum enim vitæ mihi deinceps Dei voluntate erit, quantumque à curâ publicâ & re familiari, procurandoque cultu liberorum meorum dabitur otium, ea omnia subcisiva & secundaria tempora ad colligendos hujuscemodi libros conferam*, verbis A. Gellii lib. 20. noct. Attic. cap. ult. Tantum hac vice, lector. Vale & salve, mecumque exora Jehovam, qui ista & alia bona dare, omniaque mala avertere promisit, apud

Da-

Davidem inquiens: *Invocaverit me, exaudiam eum; cum ipso ero in angustia, & eruam eumdemq; glorificabo & longitudine dierum saturabo ac ostendam ei salutem meam.* Psalm. 91. vers. ult. cujus verba G. Buchananus ita carmine reddidit:

Præsens vocanti subsidium feram,
Et imminenti rebus in asperis
Fato eximam; exemptoq; honorum
Eximium decus arrogabo.
Faxo virenti robore transigat
Seræ senectæ tempora suaviter,
Meusque monstrabo levare
Quâ soleam ratione amicos.



CAR-

CARMEN CHALDAICUM
ANT. HERINGII
JUNIORIS.

לאחי לבעלא די ספרא
הרא פתגמי תושבחתא
לאנטוניוס ערינגיוס׃



עָא לָךְ בִּצְלוֹ בְּקַשָּׁה
מִתְכַּוֵּן בֵּהּ צוּר לַיהוָה׃
די לָהּ כוחָא·די עוֹבָדִין·
תִקְרָא סִפְרָא·די מְדָרִין׃
כָּל פַּרְשְׁגֶן רַבִּין מִתָּא·
דִּינַיִן דַּחֲלָה כְּתַב לַהּ׃
אִם לָא תִימַן טוּם פַּרְשֶׁגֶן
בָּךְ הֵן נָצָא די אותיהן׃

SS. PA-



SS. PATRUM

DICTA.

SI judicum pœnas cernentes obruimur, & hoc vix quinquaginta annis, damnationi obnoxiis; quale est Christi Tribunal, non tantum in quinquaginta annos, sed in infinita protendens secula pœnam! *Joh. Chrysost. homil. 22. ad Pop. Antioch.*

Imò

Magna jam est pœna peccati, metum atque memoriam futuri perdidisse judicii. *Euseb. Emissen. homil. de Latrone.*

Quare

Si quando te senseris ad aliquod provocari peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ubi mortalium tolerabile Christi Judicium: & hōc quasi fræno animam cohibe. *Basil. homil. in psalm.* 33.


Tandem

Sive comedas, sive bibas, sive aliquid aliud agas, semper insonet auribus tuis vox illa horrifica: Surgite mortui & venite ad judicium. *Hieron. in reg. monach. cap. 30. vel juxta alios super Matth.*



DIS-





DISCURSUS
de
CITATIONE AD DIVINUM TRIBUNAL, VEL PROvocatione ad judicium Dei in valle Josaphat, Germ. von beruff / vnd ladung vor Gottes gericht ins thal Josaphat, quædam memorabilia continens.

SUMMARIUM.

Citationum & adpellationum varia sunt genera 2. Dei ad tribunal provocare solenne, & quidem 3. Proverbii instar est, citare ad Vallem Josaphat. 4. Heroldus de hac adpellatione singularem edidit dissertationem, cujus summa ponitur cum aliis authoribus nu 5. & discursus hujus contentis num 6.

7. Origo hujus provocationis antiquissima est.

8. Deus perperam judicata solet rescindere, cum similibus.

9. Sara invocat Deum judicem ac vindicem.

10. Jonathan Dominum requirit testem ac judicem in fœdere cum Davide pangendo.

11. David contra Saulum & alios hostes eâ formâ provocationis ad judicium Dei utitur.

12. Sanguis ad Deum clamans postulat vindictam, idque inducitur exemplo Habelis &

13. *Zachariæ morte, cum nu. 14. & 15.*
14. *Valle in Hierosolymitana multi homines occisi.*
16. *Circumstantiæ in hac adpellatione ponderandæ.*
17. *Pastoris ecclesiastici à manibus requiritur sanguis auditorum.*
18. *Macchabæorum martyrum mascula responsio ad tyrannum Antiochum, juncto num. 88.*
19. *Deus ipse videtur provocare ad judicium cum populo suo, addito nu. 20.*
20. *Discipuli & Sancti cum Christo judicabunt.*
21. *Judicis iniqui & prorsus athei exemplum ex Luca, cũ aliis num. 22.*
23. *Apocalypses cap. 6 v. 10. explicatio B. Hieronymi.*
24. *Christus ad tribunal cœlestis patris provocat.*
25. *Christus num in mundum venerit ad judicium?*
26. *Deus quando adparuit, cur homines consternati?*
27. *Justitiæ severæ à tribunali provocare ad thronum gratiæ, quid in scriptura? remissivè.*
28. *Vallis Josaphati mentio cur huc trahenda ex Joëlis c. 3. juncto nu. 39.*
29. *Joel propheta quo tempore vixerit dubitatur.*
30. *Gehennam interpretantur nonnulli vallem Josaphati: sed Patres dissentiunt nu. 31. confer tamen nu. 69. 70. 79.*
31. *Vallis vocabulum plerumq; in malam partem capitur usq; ad nu 39 quandoq; tamen in bonam nu. 40.*
33. *Achor vallis explicatio* } *remissivè, cum nu. 59.*
34. *Hierusalem cur vallis solida* }
35. *Valles dicuntur novissimi in ecclesia.*
36. *Montes & Valles quid in sacris literis? cum nu. 38.*
37. *Jobi dictum cap. 39 explicatur.*
41. *Josaphat rex fuit Israeliticus, juncto nu. 53.*
42. *Gog & Magog num prope Hierusalem fundendus? cum nu. 52. 53. 81.*
43. *Judiciumne particulare vel universale hic sit intelligendum? cum nu. 48. 57. 58, 61. 67.*

44. *Christianos semper Deus protegit ac vindicat, juncto nu. 56.*

45. *Mille anni quomodò exaudiendi in Apocal. cap. 19. & 20. remissivè, adhibito nu. 81.*

46. *Passio & Mors Christi, itemque Sennacheribi clades, num ad vallis Josaphaticæ judicium sint trahenda?*

47. *Gentium vocatio & Ecclesia num per vallem Josaphat intelligenda, cum nu. 49.*

49. *Turcæ vel alterius infidelis auxilium non est implorandum, magis remissivè, addito num. 51.*

50. *Josaphat cur justus fuerit dictus?*

52. & 53. *Joëlis cap. 3. exponitur juxta Hieronymum ac Munsterum, juncto nu. 39.*

54. *Judæi fuerunt maximi persequutores nascentis Ecclesiæ.*

55. *Ecclesia quomodò pugnare dicatur?*

60. & 61. *Orbis terrarum non capit judicandos in futuro seculo.*

62. *Jehosaphati nomen quale apud prophetam? cum nu. 65. 74. 75. 84.*

63. *Judicii & judicandi verba quid apud Hebræos significent, adhibito simul num. 73. 75. 76.*

64. *Judæis promissio de semine facta, ad gentes derivata.*

65. *Judicium Dei ac Hominum reperitur.*

66. *Prophetæ diversos tenuerunt mores in arguendo.*

68. *Judicium extremum in Monte Olivarum quidam putant futurum.*

69. *Gehinnon vallis describitur, cum mentione torrentis Kydron, juncto nu. seq.*

70. *Gehenna unde & cur, quomodove dicta? cum nu. 30.*

71. *Via media omnium est tutior.*

72. *Contextus verba sunt conciliunda,*

73. *Judex non sum: sed Dei exercet judicium, cum nu. 164.*

76. *Vallis Josaphat dicitur etiam vallis ac dies judicii & concisionis, junctis num. 77. 78. 79. 83. 85.*

79. *Peccatorum sordes quasi excoquuntur.*

80. *Sol & Luna cur diem judicii divini intueri nequeũt?*
81. *Harmon*
83. *Cherez* } *quid Hebræis significent?*
84. *Josaphati vallem denotare judicium, omnes fatentur qualiscunque tandem sit, cum num. 86.*
85. *Effectus firmum præbet argumentum.*
87. *Exempla variorum seculorum hic incipiunt de provocatione ad judicium divinum: & quidem ex veteri novoque testamentis num. 88.*
89. *Ethnici suos quoque Deos crimina punire putarunt, idque clarum fit num. 90 & 91.*
90 *Virginum vi stupratarum causa Deus pœnas irrogavit, cum historia alia de preces quibusdam num. 91.*
92. *Preces Onias neutrius partis successui inservientes, quoad mala à Deo immittenda.*
93. *Martyrium Magni sub Decio tyranno*
94. *Decii tyranni exitus.*
95. *Juliani apostatæ scelera & miserrimus vitæ finis, cum num. 96. & 97.*
96. *Orationis ardentis in medio pius exauditionem & res procul gestas sentit, sine dubio num. 97.*
98. *Moguntinensis archiepiscopi positus ac desertus Deo vindictam relinquit.*
99. *Arrii hæretici miserrima mors.*
100 *Decimarum nomine lis mota inter Episc. Halberstad. & Abb. Hervaldens. qui contra illum ad Jehovam provocat.*
101. *Conradinus ultimus Sueviæ dux securi percussus, adde nu. 102 usq. ad 105.*
102. *Vespera Sicula quando & cur orta?*
103. *Locus quidam innocenti sanguini præbet testimoniũ.*
104. *Numerus quaternarius in aliquot Pontificibus ominosus.*
105. *Capitalem sententiam enuncians perfossus est.*
106. *Papa Clemens IV. improbum & inauditum factũ ergo duos Germaniæ Principes hic censetur, adde num. 113.*

107. *Papa Innocentius IV. excommunicavit Rob. Lincolniensem, quod eius crimina [illegible] ad tribunal Dei adpellavit.*

108. *Templarii [illegible] ad [illegible] tribunal hostes suos citarunt, cum aliis notabilibus de Ordine Templariorum nu. 110. 111. 112.*

109. *Bremensis Ecclesiæ iura ac privilegia quandoque labefactata, sed non absque divina vindicta, de authoribus sumta.*

112. *Cruces rubricatas & chlamydes [illegible] Templariorum ignis non potuit consumere.*

113. *Gualtherus Burgensis per Papam Episcopatu pulsus ad tribunal divinum provocavit.*

114. *Florentini à rebellione se excusant & nihilominus damnati ad Deum provocant, sed num. seq.*

115. *Imaginem ad Dei & Christi aliquando factæ fuerunt tales provocationes.*

116. *Vicariatus Papæ malè respondet moribus ac regulis Domini, cuius vices is gerere vult: cum inductione multorum absurdorum, magis tamen remissivè, cum nu. 117.*

117. *Papa à curia ad Dei summum tribunal non esse adpellandum, frustra garrire solent gnatones Pontificii.*

118. *Evangelii ob prædicationem sub Gallus in Anglia captus, suspensus ac dilaceratus, pœna talionis in authorem redeunte.*

119. *Peccat per quæ & ubi, per eadem & ibidem punitur.*

120. *Hussus & Hieronymus cremati vaticinia præmittũt, [illegible] num. 121. 122. 123. 124.*

121. *Lutherus quando Evangelium docere inceperit, cum ipsius encomio num. 127 & 170.*

122. *Bohemi in honorem Hussi monetam cudunt cum inscriptione huc pertinente.*

123. *Veritas etiam efficax in adversariis.*

124. *[illegible]*

125. *[illegible] & quidem cum insigni persona [illegible] exstiterunt, cum nu. seq.*

 127.

127. *Hiltenii vaticinia de Luthero & Turca, cum provocatione ad tribunal Dei.*

128. *Julius II. Papa contra Galliæ regem utitur hac provocationis formulâ.*

129. *Crudelitas erga subditos graviter à Deo punita.*

130. *Deus interdum totam causam, personas & acta ad suum forum avocat.*

131. *Conscientia reluctante & convictâ nemo impunè loquitur & accusat.*

132. *Vaticinium Sophocardii contra Cardinalem memorabile, itidem nu. 133.*

134. *Parisiensis laniena aliquot justitiæ divinæ dedit exempla, nempe Colinii, tum Pilii nu. 135. Mongomarii nu. 136. Sanzomanii nu. 137.*

138. *Stellæ novæ tunc subortæ et insolito tempore genus rubi dedit florem*

139. *Advocatus quidam ad Dei judicium fuit citatus.*

140. *Fassiorum in Dania reliquiæ ob talem evocationem deletæ dicuntur.*

141. *Ferdinandus IV. rex Hispaniæ ita citatus ad judicium summi Dei miserè periit.*

142. *Damnato quodam injustè sub gladio cadente, judex ab equo corruit.*

143. *Furca suspensus Gothalanus provocat ad Deum.*

144. *Frater fratrem accusavit infelici successu. secus tamẽ in casu nu. 145.*

145. *Martyr quidam fratrem ad constantiam permovit hac comminatione, se illum præ cæteris coram Deo accusaturum.*

146. *Pater contra filium quandoque usus tali provocatione ad tribunal divinum.*

147. *Austriacus quidam dux cui in insons jubens nobilem, ab ipso in vallem Josaphat citatus est.*

148. *Campanâ pulsâ quidam Præpositus se sentit ad judicium Dei vocatum.*

149. *Canonicos expellere cupiens tali citatione fuit decerptus.*

150.

150. *Injuriis mortuus illata, hac provocatione praviâ à Deo vindicata fuit.*
151. *Monachi Corbejensis contemtus hujus adpellationis punitus.*
152. *Turca ad Christum provocat ob perfidiam Christianorum. sub num. 156.157.158.*
153. *Caput cur Turcæ radant, excepto vertice?*
154. *Actor quomodò Reum ad judicii trahat apud Turcas?*
155. *Pontifices inter Christianos ac infideles sæpè turbas excitarunt.*
156. *Hostium fides danda sit Pontifice inconsulto?*
157. *Episcopi & Monachi magis in templis ac scholis quàm in acie & aulis esse debent.*
158. *Sepultura canina impiorum propria.*
159. *Judex & Scabini quidam innominati à Milite ad judicium in vallem Josaphat citati perierunt.*
160. *Adpellatio ad judicium Dei & vallem Josaphat an & quibus modis licita? usque ad num. 170.*
161. *Superstitiosos (quam esse hanc citationem putant) nimium qui tenentur, nonnulli puniendos esse arbitrantur: Sed limita, ut nu 162.163.164.*
162. *Privati homines ob sibi illatum damnum & injuriâ, non statim ad Deum provocent, cumque tentent.*
163. *Criminales causæ faciliùs admittunt hujusmodi citationem & Dei judicium.*
164. *Christi actio debet esse nostra instructio.*
167. *Provocare ob quas causas ad Deû sit licitum & tutû?*
168. *Judex bonus vel malus quomodò se erga hos adpellantes gerere debeat? cum nu. 169.170.172.*
171. *Justitiæ pro administratione à Deo & Hominibus quis præmia consequitur.*
173. *Magistratus superior ac inferior sedulò curare debent, ne ad ejusmodi provocationem dent occasionem juncto num. 174.*
175. *Ecclesiæ status & persequutorum exitus, cum nu seqq.*
176. *Lutheri encomium ex Zasio JC. catholico.*

177. Pœnitentia et Oratio ſunt verum aſylum, quo mediis in periculis tuti ſumus,
178. Belli tempus cur Dies domini vocetur?
179. Victoria non eſt indicium bonæ cauſæ & veræ religionis, cum nu. ſeq.
180. Eccleſiæ & Hoſtium imagines depinguntur ex Luthero;
181. Alta ſunt ad ruinam proclivia.
182. Euangelicorum doctrina eſt ſana, quoad verbum & Sacramenta.
183. Hoſtes primò exſurgunt, poſtea Deus.
184. Mundi furor qualis erga Euangelium.
185. Deus hoſtes ſuos ſtatim punire non ſolet
186. Præſentia cum præteritis conferre debet.
187. Hoſtes plerumq. Deus habet fortes ac potentes.
188. Præſidia divina & humana longe alia ſunt.
189. Idololatriam nemo feliciter propugnavit.
190. Oratio Lutheri tempore perſequutionis conjunctim recitanda proponitur.
191. Deus ſuos ſervat & regna dat transfertq;.
192. Religionis libertas optimum concordiæ eſt temperamentum.
193. Moderatio civium errantes in viam ducit.
194. Mutuum auxilium in religionis negotio utile.
195. Chriſtiani antiqui erga bonos & malos principes ſe quomodo geſſerint, cum nu. 196. & 197.
196. & ſeq. Euangelici priſcos Chriſtianos imitantur.
198. Eccleſia Romana reliquarum mater: ſed valde corrupta.
199. Judicium extremum antiquis rythmis adumbratum fuit: qui ibi inſeruntur.
200. Peccator quilibet ſe citatum ad divinum tribunal putet; cum adnexa precatione.

Cita-



Citationum & † adpellationum 1
varia esse genera, inter homines
jure vel more introducta, no-
runt omnes, qui mediocriter
legibus tincti & in foro versati,
aut litibus ipsimet vexati & gra-
vati sunt. Memorabilis attamen species pro-
vocationis est quæ dicitur fieri † ad summum 2
tribunal Dei & Christi (à judicio enim majo-
rum Magistratuum ac Regum, à quibus aliàs
lege humanâ provocare interdictum, inveni-
mus adpellatum ad Deum, qui est Rex Regũ
& Dominus Dominantium, inquit Matth.
Stephani, *mox citan. lo. nu. 189.*) vel ad judi-
cium, quod in valle Josaphat celebratur; quæ
etiam alio nomine vocatur citatio ad alterum
seculum, sicut in simili comprobat ventura de
valentiis *l. 2.* Jurga Valentinus Winther *lib. 1.*
parthen. litig. cap. 1 nu. 37. 38. 39. 40. 41. vel cita-
tio dicitur ad comparendum coram Deo judi-
ce, secundum Majolum *mox citan. colloq. 2. fol.*
523. Illamque priorem valde celebrem, in-
star † proverbii habuit illustrissimus Philip- 3
pus Hassiæ Landgravius, apud Fridericum
Hortlederum *vol. 1. de causis belli German. vul-*
gò Handlshandel von Ursachen des Teutschen
Kriegs *lib. 4. cap. 7. nu. 71. pag. 153.* & de ea † sin-

gu-

gularem nuper dissertationem edidit Christianus Heroldi, quam laudavit postea, in ejus traditis adquiescens, CL. vir Dn. Christophorus Besoldus *in thesau. pract. observ. lit. I verb.* Juris thal Josaphat laden 19. *pag.* 442. Heroldus quidem pleraque desumsit † ex Phil. Camerarii *cent. 3. medit. histor. c. 38.* Theod. Zwingeri *theat. vitæ humanæ vol. 5. l. 4. fol. 134.* Matt. Stephan. *tr. de jurisdict. lib. 2. part. 1. mem. 2. nu. 189. usque ad num. 196.* Just. Lipsii *lib. 2. monit. politic. cap. 11.* Greg. Richteri *axiom. regal. histori. reg. 290 & 299.* Sim. Majolium 2. *dier. canicular. seu colloq. obss. 2. fol. 523. 524. 525.* Joh. Nordermanni vulgò JCti cujusdam Westphalici *dissert. de jure principat. concl. 51.* inque sua dissertatione præmisit, hanc provocationem in veræ fidei & Christianæ innocentiæ experimentis hactenus non infimam esse habitam; nec indefinitè semper factam: sed ad diē, mensem & annum restrictam, suos plerumq; effectus peperisse; tum apud diversas gentes Europæas innocuisse, tam quoad ethnicos, quam Christianos, & inprimis personas ecclesiasticas. Hæc summa est istius dissertationis, in cujus causas simul inquirit & illum deinde exemplis multivariis illustrat, tandemque modum & media alia præscribit, vel omittendi vel effugiendi ejusmodi imprecationes. Nullus tamen illorum occupavit ea, quæ maxima ex parte à me ab ovo quasi inducuntur. Plerique

otienim manu † disquiram de hujus rei ratio- 6
ne & origine, tum promiscui, attamen ut plu-
rimum recentioris ævi exempla conplurima
in specie adferam, & tandem modos tam pro-
vocandi quam evadendi licitos vel inlicitos
proponam. Quoad primum, duplex hic in-
dagatio necessaria est: una de judicio Dei &
Christi, altera de valle Josaphati. Multis quip-
pe † seculis frequentatum fuit, ut miseri illi, 7
quibus honores, opes aut vitam injusti ade-
mit judicis sententia, vel potentioris conten-
tio, quandoquidem sibi nullum aliud contra
potentiam obprimentium restaret remedium,
multoties ad summi judicum judicis judicium
& tribunal Jehovæ provocarent & potentio-
res evocarent. Siquidem ad tribunal æter-
num judicis justi provocatio salva est (si quis
vi obpressus aut iniquo judicio damnatus fue-
rit ex errore, falso testimonio, corruptione, o-
dio vel amore, ut declarat Norderman. *d con-
cl. 51. in princ.*) soleris † perperam judicata re- 8
scindere; is est qui omnem hominem judicat;
is qui facit judicium injuriam patientibus, qui-
que ait: Mea est ultio, & ego retribuam eis in
tempore. Est & ubi non cogitamus, ipso ju-
dicis aut testis in pectore; magni ibi habitant
ultores, nulliusque belluæ morsus est acrior
quam conscientiæ, verba sunt Franc. Petrar-
chæ *lib. 2. de remed. utriusq. fort. dial. 66.* In u-
troque testamento sanctorum hominum di-
cta &

cta & facta reperiuntur, quibus vestigia ac ve-
lut certi casus & origines hujus rei deteguntur,
ut quis Dei judicium in rebus summè contro-
9 versis aut injuriis gravissimis adhibeat. Sic † Sa-
ra Abrahę suo dicit, postquam Hagar domi-
nam despexerat: Judicet Dominus inter me
& te; ancilla verò aufugiens & ab angelo
(quem Osiander ibi credit fuisse filium Dei in
forma humana adparentem) increpata fate-
tur: Audivit Dominus adflictionem meam,
& Deus vidit me. *Genes. 16. v. 5. 11. 13.* Jonathan
10 cum † Davide pangens fœdus, inquit: Requi-
rat Dominus de manu inimicorum David, sit-
que inter me & te, nec non inter semen tuum
ac meum. 1. *Samuel. al. Reg.* 20. *v.* 15. *23. &* 42.
Uterque à Deo exauditus ac defensus est, cen
in progressu historiæ ibidem fit manifestum. I-
11 mò ipse † David suos socios adloquitur, simul-
que discrimen indicat contra quos & in qua
causa, quove tempore ejusmodi obtestatio ex-
secratio & invocatio usurpanda sit, hisce: vivit
Dominus, quia nisi hic percusserit eum, aut
dies ejus venerit, ut moriatur, aut descendens
in prælium perierit, non mittam manum meã,
nec vos mecum in Christum (i.e. unctum) Do-
mini. Ad Saulum regem ac socerum verò
conversus inquit: Vides quomodò te domi-
nus in manu mea tradiderit, ulciscatur me do-
minus ex te, seu judicet is inter me & te, ac vi-
deat judicetque causam meam & eruat me de
manu

manu tua. Quod etiam deinceps factum, &
ipse persequutor tunc temporis fassus est, his-
ce: Justior tu es, quam ego, dominus reddat ti-
bi vicissitudinem pro bono; nunc scio quod
sis regnaturus. 1. *Samuel. vel reg. 24. v. 7. 11. 13.*
16. 18. 20. similia de iisdem exstant, *cap. seq. 27.*
v. 16. 19. 21. 23. 24. 25. Notabilis sane locus, quæ
in psalmis regius ille propheta David passim
repetit: imprimis verò sub sua vel Christi per-
sona contra ecclesiæ hostes duas imprecatio-
nes, non omni casu imitandas proponit. *Psal.*
109. *al. 108.* ubi omninò lege Johannis Arndt
Superintendentis Luneburgensis celeberrimi
comment. Inter alia quoque David ait: Quoniã
(Jehova) requirens † sanguinem, eorum re- 12
cordatus est; non est oblitus clamorem pau-
perum &c. *psalm. 9. v. 13. cum v. 17. & 18.* De u-
troque vetustiora habemus exempla. Unum
est de sanguine innocentis Habelis, ad Deum
in cœlum clamante de terra: qui illum exaudi-
vit & vindicavit in Kaino, ut peculiari discur-
su plenius induxi, ex *Genes. cap. 4.* Ex hoc dire-
ctò spectat alterum de summo sacerdote † Za- 13
charia, filio Jojadæ, quem Joas propter objur-
gationem acrem interfecit, immemor benefi-
cii paterni & dicti [illegible]. Ille enim cum man-
dato hujus regis lapidibus obrueretur ac mo-
reretur, dixit: Videat dominus & requirat.
Cumque evolutus esset annus: ascendit con-
tra eum exercitus permodicus Syriæ, ac inter-
fecit

fecit cunctos principes, immensamque multi-
tudinem populi; rex etiam ignominiosa mor-
te obcubuit: omnia profectò ad sanguinis i-
stius innocui ultionem à Deo immissam. *2. Pa-
ralip. vel Chron. 24. v. 22. 23. 24. 25.* adeò ut non
modo ex Talmudica historia Judæorum Rab-
bi Jehosua recenseat à Nebuzaradane summo
belli duce Nabuchodonosoris bis centena &
14 undecim Judæorum millia cæsos esse in † valle
Hierosolymitana, intra urbis autem mœnia no-
naginta quatuor millia, in expiationem illius
Zachariæ, cujus sanguis in eum usque diem è
terra velut è fervente olla ebullierat, *And.
Hondorff. in theat. hist. seu prompt. exemplor. in 3.
præcep. p. m. 291.* Sed etiam in novo testamen-
to Christus pronunciet talem sententiam: In-
15 quiratur † sanguis omnium prophetarum, qui
effusus est à constitutione mundi, à generatio-
ne ista Judæorum à sanguine Habel, usque ad
sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare &
ædem *Luca* 11. *v.* 50. Quo verborum circuitu
16 non modò † differentiæ personarum, causarū,
locorum & aliarum circumstantiarum indi-
cantur, quæ in ejusmodi provocatione sedu-
lò observandæ: sed etiam ipsum Jehovam nō
inploratum finnere vindictam de tyrannis ex
superioribus liquet, & mox ulterius constabit,
ad stipulante Petro Laurenço, ejusque interpre-
te Lauren. Cuparo *In theat. mundi minor. seu
hum. calam. ocean. lib. 3. pag.* 232. Deus enim ali-
bi mi-

bi minatur, se † tanquam justissimum judicem 17
ex officio (ut loqui solemus) à falsi autignavi
pastoris ecclesiæ manibus requisiturum ali-
quando sanguinem auditorum. *Ezech. 3. v. 18. cum cap. 33. v. 6. in fin. Cuparus d. tr. & lib. 3. pag. 235. in fin. juncto lib. 2 pag. 133.* aliusque nempe Jeremias propheta captivus ad sacerdotes & principes dixit: In manibus vestris sum, facite mihi quod bonū & rectū est in oculis vestris; verumtamen scitote & cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos & contra civitatem istam, quia misit me dominus Jerem 26. v. 14.
& 15. Quin & septem martyrum † Maccha- 18
bæorum prophetia vim inprecationis & citationis vel denunciationis ac prædictionis pœnæ divinæ habere videtur, quando quintus eorū ait tyranno: Noli putare genus nostrum à Deo esse derelictum, tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te & semen tuum torquebit. Sextus in hęc verba prorumpit: Tu ne existimes, tibi inpune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris? *lib. 2. Maccab. cap. 7. v. 17. & 19. cum præcedd. & seqq.* ubi plura huc pertinentia ha-
bentur. Imò † ipse Deus quomodo huma- 19
no more provocet ad judicium cum populo suo Israelitico apud fortia fundamenta tam montes & colles quam valles h. e. Montes & colles quidem ut patriarchas, quibus quasi audi-

auditoribus & ad judicium convocatis, populi Israël ventilandum sit negotium (ita Dei fi-
20 lius loquitur de suis † Discipulis, eos in hoc mundo carnaliter non esse regnaturos: sed cũ ipse venerit & in throno sederit, tunc eos duodecim tribus Israël judicaturos *Matth. 19. v.28, Lucæ 22. v.30.* Similiter de extremo judicio vel aliquo tempore millenario, de quo adhuc certant theologi, ait Johannes apostolus vel sane unus ex apostolorum discipulis, se vidisse sedes & sanctis judicium esse datum, cumq; Christo regnare. *Apocal. 20. v. 4. 6. 11.*) aut Angelos, quod in cœlestibus serviant Deo, vel hominibus præsint super hanc terram, vel apud inferos constituti eorum qui suo vitio exstitere terreni ita dicantur: Valles autem populum, quod nihil dignum montibus auditione fecerit, sed vel collibus, qui inferiores sunt à sublimitate montium, vel vallibus infima demersis, vide late introducentem Hieronymum *comment. lib. 2. in Micheam cap 6. pag. 18. & 187.* In novo testamento adfinia habemus præter illa duo, quæ jam retulimus & infra se-
21 quuntur *num.* 88. Euangelista enim † Lucas memorabile exemplum ponit: Jesus dicebat parabolam.| Judex quidam erat in civitate, qui Deum non timebat, nec hominem reverebatur. Vidua autem quædam erat in eadem civitate & conveniebat eum, dicens; Vindica me de adversario meo, & nolebat per multum

rum tempus, post hæc autem dixit intra se: Et si Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam; ne in novissimo veniens suggillet vel obtundat me. Ait autem Dominus: Audite quid Judex iniquus dicit? Deus autem non faceret vindictam electorum suorum, clamantium ad se die & nocte, patientiamque habebit in illis: Dico vobis quia citò eos vindicabit. *Lucæ cap.18.v.2.3.4.5.6.7.juncto Exod.cap.22.*
v.22.23.24: Apostolus quoque gentium † 22
Paulus ad Thessalonicenses ita scribit: Nemo circumveniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus de his omnibus 1. *Thessal.4.v.6.* Idem de Alexandro ærario inquit: Reddat illi Dominus secundum opera sua 2.*Timoth.4.v.15.* ubi vide Osiandri glossam, num vox sit ex carnali vindicta aut spirituali zelo inprecantis & execrantis, aut vaticinantis? Sic etiam Martyres apud eumdem Johannem ad Deum clamant, & ut extremum judicium adceleret orant: Usquequo, Domine, non judicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? *Apocal.6.v.10.* Qui locus mihi revocat in memoriam ejus-
dem † B. Hieronymi doctrinam, qui prophe- 23
tam Joëlem, de valle Josaphati & judicii divini agentem explicans, contraque Judæorum mentiendi licentiam pugnans, inter cætera ita fatur: *Nos dicamus tempore dominicæ resurre-*

ctionis, vel die judicii (utrumque enim recipimus) & Ægyptum in Idumæam, in eo quod Ægyptus & Idumæa sunt, destruendas. Ægyptus dicitur מִצְרַיִם, *quod interpretatur ἐκθλίβουσα h. e. sanctos Dei persequens & tribulans: Idumæa, terrena et cruenta. Quicunque igitur Dei populum persecutus est, et terrenis vacabit operibus; ac multitudine delictorũ quotidiè fuderit sanguinẽ innocentem, eorum scilicet quos decipit, erit in perditionem: ut animas quoque martyrum sub altari clamare cognovimus.* Hactenus Hieron. *in comment. ad Joël cap. 3. tom. 6. opper. pag. 85.* Quinimò
24 ipse iterum † Christus ad hoc tribunal cœlestis patris & sibi traditi judicii provocavit, quã do Pharisæi & Scribæ nullas placidas nec severas admonitiones voluerunt admittere, tales perpetuò refractarios cum gravissima cæterorum suppliciorum comminatione ita increpãdo: Dico vobis, quod de quocunque verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, redditur sunt rationem in die judicii. Nam ex dictis tuis justificaberis & ex iisdem condemnaberis. item: viri Ninivitæ surgent in judicio cum hac generatione & condemnabunt eam, quod ipsi resipuerint ad prædicationem Jonæ. Et quod plus est, Regina Austri surget in judicio isto & condemnabit eamdem generationem, quod venerit à finibus terræ ad audiendam sapientiam Salomonis. *Matth.* 12. *v.* 36. 37. 41. 42. *Luc.* 11. *v.* 31. & 32. quæ præsenti sensu pluribus

Inducit Polycarpus Lyſerus *in continuat. Harmon. Euang. Chemnitianæ. lib.3. part. 2. cap.53. pag.221. num 3. ſeqq.* alibique ipſe Chemnitius † conciliat duo Johannis Euangeliſtæ dicta, 25
prima fronte inter ſe pugnantia; Deum ſcilicet filium ſuum non miſiſſe in mundum ut eũ judicet; & tamen Chriſtum ad judicium veniſſe in hunc mundum *Joh.3.v.17 & 19. cum cap.9.v.39 juncto cap.12.v.47. & 48.* Ubi addit, ſermonem ſuum, judicaturum hominem in die noviſſimo. In veteri quippe teſtamento ſæpius minatur Deus, ſe venturum, ut judicet. Atque inde factum eſt, † quod quando is in 26
ſpecie aliqua adparuit, homines conſternati leguntur, ſicut in paradiſo poſt labſum. Conſcientia enim rea, exiſtimans Deum ad judiciũ venire judicem, quem ſcit ſe ſuſtinere haut poſſe, fugit, Ideò Chriſtus ad judicandum & condemnandum ſe in mundum non veniſſe dicit: alium attamen reſtare adventum ſimul indicat, in quo hæc peragit. Diſcrimen illud mediatoris efficit officium, quod inter Deum & Hominem ſuſcepit: ut habeamus advocatum ſapientiſſimum, qui exceptionem noſtrá fori declinatoriam (quàm veteres privilegium provocationis nuncupant) omnium optimè novit obponere, judiciique tribunal mutare, quod pater filio ſuo dedit; qui loco † tribuna- 27
lis Legis & ſeveræ Juſtitiæ poſuit thronum Gratiæ & Miſericordiæ; ut peccator ab illo ad

hunc adpellare queat, forensi & judiciali loquutione consolationis plenâ, & tam particulare quam universale judicium conprehendēs daß ein armer/betrübter/angefochtener vnd danebst bußfertiger sünder/ vom strengen Gericht Gottes des Vatters/ an den gnaden thron Jesu Christi seines Sohns getrost/ behertzt vnd vnverzagt sich beruffen möge. De his præmissis lege differentem Chemnitium *lib. 2. Harmon. euang. cap. 28. pag. 159. usque ad 162. cum lib. 3. cap. 46 pag. 177. & seqq.* Hæc de judicio Dei & Christi sunt verissima, & religionis nostræ fundamenta. Sed cur in specie vallis Josophati eò trahatur, & unde dictio suam nacta fuerit occasiónem, illud maximè est in ambiguo, tam apud veteres quàm recentiores ecclesiæ doctores. Communiter adducunt lo-
28 cum † Joëlis, tribus vicibus dicentis, Congregabo omnes gentes & deducam eas in vallem Josaphat; & disceptabo cum eis ibi super populo meo & hereditate mea Israël, quos dispersesunt in nationibus, terramque meam diviserunt. Et aliquot interjectis pergit: Consurgant & ascendant gētes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. Et paulò post: populi populi (seu multitudo multitudo) in valle concisionis; quia juxta est dies domini in valle concisionis &c. *Joël cap. 3. v. 2. 12. & 14.* Verum lis remanet tam de ipso propheta, quam prophetia. Ete-

nim

nim † Joël, quo tempore vixerit, incertum est. 29
Tacet itemque tempora & reges, quæ duo alii in principio suæ prophetiæ solent præmittere. Quidam putant eum sub vel cum Hosea & Amoso prophetasse, quod B. Lutherus non improbat *in præfat. German. super Joël.* Cui tamen alibi videtur magis verisimile, Joëlem antiquiorem exstitisse prophetam, atque adeò, ut putet eum ante Esaiam, Oseam & reliquos prophetasse, & quidem eo tempore, quando adhuc floruit, inque summa pace constitutum fuit regnum Judæorum; atque tunc vidisse ipsum plagas ibi prædictas; nec ordinem curandum esse bibliorum, qui est arbitrarius. Ita Lutherus *in comment. de An. 1536. super Joël. tom. 3. oper. latin. Jenen. pag. 470. in princ.* Sed hanc sententiam mutavit, Esaiam & Oseam nempe, natu majores fuisse & Hiskię vel Manassis temporibus Joëlem vixisse *in repet. de An. 1547. ejusd. Joël. tom. 4. oper. latin. pag. 764. & 772. B.* Paulò aliter Osiander qui putat, Joëlem sub Ezechia (patre Manassis. 1. *Paralip. 3. v. 13. & 14.*) vel paulò ante prophetasse, *in gloss. ad Joel. cap. 1. v. 1.* Alios concertantes vide apud Joh. Tarnovium *in prolegom. commēt. super prophet. Joël. pag. 5. & 6.* De prophetiæ intellectu æquè disceptant inter se Judæi & Christiani.
Primò aliqui verba ista exaudiunt de † Gehen- 30
na & justo Dei judicio ibi exercendo. Sed de eo loco non satis constat ex sacris pandectis,

nec reliqua contextus verba huc quadrare videntur, tum ferè omnes loquuntur de judicio adhuc movendo & nondum finito, sicque differunt loco & ordine, velut antecedens & cõsequens; scilicet Deum in inferno non exercere judicium, sed ibi sententiam quoad malos executioni mandare: denique valdè absonum aliàs esset SS. Trinitatem in tali loco, diabolis & inpiis præstituto, augustum & majestatis plenum suum judicium exercere, illucq; sanctos angelos & pios homines solenni quasi ritu simul ducere, & ad cœlum thronumque gloriæ reducere. Nisi quis illud intellexerit, Christum à mortuis resurrexisse, ad gehennam descendisse; diaboli opera destruxisse & ab ejus tyrannide genus humanum liberasse. Sed hoc modo de præterito & non futuro loquerentur: & quorsum tunc abirent Judæi cum suo Messia, quem adhuc vana spe exspectant?
31 Mecum sentit sanctus pater † Joh. Chrysostomus, qui sermonem de gehenna & justo Dei judicio pulchrè diffundit, interque cætera ex Græco in Latinum conversa ait: *Ubi, inquies, & in quo loco erit ipsa gehenna? ut quid istud curas? Quæstio siquidem est, ut ostendatur quod sit, non ubi recondita sit, & in quo loco. Nonnulli quidem fabulantes dicunt, quod in valle Josaphat, quod de bello præterito dictum est, ad gehennam hos trahentes; scriptura verò hoc non dicit.* Ita Chrysostomus *serm. 31. in cap. 16. epist. ad Rom. tom. 4.*

tom. 4. oper. latin. pag. 253. edit. Basilien. de An.
1539. Meminit etiam gehennæ: sed non ad-
probat talem explicationem B. Hieronymus,
cujus verba mox adferã *inf. nu. 76. juncto nu. 97.*
Qui tamen hujus opinionis authores exstite-
runt, fortassis ad illud respexerunt † Vallis vo- 32
cabulum rarò in bonam: sed plerumque in
malam partem nos legere usurpatum fuisse.
Sicut enim Montes dicuntur eminentiores
principatus, tum Ecclesia in montibus consti-
tuta perhibetur: ita pari figura humiles ac ter-
restres animæ & ob peccata in valles conjectæ
& deturbatæ leguntur, velut hæc præter B.
Ambrosium *lib. 3. epist. 12. post princ.* indicat i-
dem Hieronymus *lib. 6. comment. in Esai. cap. 22.*
tom. 5. oper. pag. 96. B. deque † valle Achor, ve- 33
lut loco tumultûs, maledictionis & supplicii
agit *lib. 18. hor. comment cap. 65. pag. 246. B.* & a-
libi se ad priorem Esaiæ locum refert, de † Hi- 34
erusalem, quæ vallis solida & campestris dicta,
in comment. lib 4. ad Hierem. cap. 21. pag. 314. D.
eod. tom. 5. oper. Necnon eodem sensu tro-
pologico † valles dicũtur novissimi in Eccle- 35
sia, qui & vita & scientia inferiores, pro suo
tamen modulo adferunt aliquam utilitatem,
Hieron. lib. 2. in Ezech. cap. 6. pag. 393. B. d. tom. 5.
iterumque alibi † Montes interpretatur ad- 36
versarias potestates, quæ in aere discurrunt, &
valles, quæ inferna penetrant, sive hæretico-
rum superbium & reipsa tamen humilem sen-

 sum

sum ac terrenas spes aut voluptates, *comment. lib. 10. in Ezech. cap. 32. pag. 494. B. sæpè cit. tom.*
37 *5.* idem quoque dictum † Jobi: confringet
glebas vallium post te, innuere ait humiliatos peccatis homines atque in ima depressos, *comment. in Job. cap. 39. pag. 125. tom. 7. oper.* De his
38 omnibus † tam montibus quam vallibus, in
genere ac specie lege latè differentem Benedictum Ariam Montanum *in lib. Joseph s. e. de arcano sermone cap 33. 34. 35. tom. 8. bibl. regg. pag. 42. & 43.* ubi inter cætera scribit; pugnæ & prælia commodius in vallibus committuntur, castrametationesque fiunt; atque ex hac ratione ad spiritualem victoriam translatum quoque & appellatum est vallis nomen, ut de valle Josaphat dicitur *Joël. cap. 3.* Magis adpositè
39 iterum † S. Hieronymus præsentem locum,
hisce declarat, & Jehovæ majestatem indicat: *pollicetur vox divina dicens, Veniam & sedebo & judicabo populum in valle Josaphat, quod interpretatur Domini judicium: Qui peccator est, & mei similis, videt dominum sedentem in valle Josaphat; non in colle, non in monte, sed in valle & quidem judicii. Qui verò justus & Esaiæ similis est, videt illum sedentem super thronum excelsum ac elevatum* &c. Hieronymus *epist. ad Damas. tom. 3. oper. pag. 16.* Reliqui autem, hoc vocabulum
40 quidem † in bonam capiunt partem: Sed ni-
hilominus in cæteris mirificè variant. Quidam enim Hebræorum *secundò* putant Jehoscha-

phat

phat hic eſſe † proprium nomen Regis Judæ- 41
orum, & qui tale commiſcuntur, illi Joëlem de
bello præterito & valle benedictionis (quale
nomen diu retinuiſſe ſcribtura teſtatur 2.*pa-
ral.*20 *v.*26)exaudiunt: quod in ea benedixe-
rint Deo, ob ſtragem in hoſtes editam, ut opi-
nantur eodem in loco; ſimiliq́ue formâ vin-
dicta divinitus ab omnibus adverſariis ſuma-
tur. Alii, qui Joſaphatum regem denotari
putant, *tertiò* conjiciunt, † Gogum ac Mago- 42
gum in valle aliqua prope Hieroſolyma, quæ
ab opere Joſophati aliquo nomen olim ſorti-
ta fuerit ad prælium congregandos, funden-
dos, atque interficiendos eſſe: ſicque Judæi
bellum adhuc futurum deſignant & ſibi ima-
ginantur, poſt mille annos aureum rediturum
ſeculum, Meſſiam adventurum, & civitatem
iſtam reſtauraturum. Alii & quidem multi
ex † theologis *quartò* hunc prophetæ locum 43
non de particulari aliquo: ſed univerſali & ex-
tremo judicio, tam ſuper bonos quàm malos
intelligunt, præcipue tamen vindictâ de o-
mnibus gentibus altero in ſeculo ſumendâ. A-
lii autem *quintò* † probationem ac bellum 44
Chriſtianorum, idque omni tempore & quaſi
ſemper ſpectante Deo vel ante finem mundi
& extremum judicium fore, interpretantur,
quo Deus potenter ſuos à quibuscunque ad-
verſariis liberaturus ſit, ut cum ipſo poſtea in
æternum regnent: quamvis etiam alibi † mil- 45
le an-

le anni ponantur, quibus sancti cum Christo sint victuri in ævo beato, & Diabolus ab angelo adligatus; qua de re, ut & bello adversus pios gerendo, evolve concertantes theologos *in comment. ad Apocal. cap. 19. et* 20. Phil. Nicolai *in histor. de regno Christi*, Mart. Chemnitium *in exam. concil. Trident. part.* 1. *p. m.* 140. Jac. Brocardum *lib. de prophetia quoad secund. advent. Dom.* adde Joh. Alstedium *libel. de mille annis apocalypt.* & Dn. Christoph. Besoldum *thesau. pract. observ. lit.* C. *verb. Ch liasta seu Millenarii* 18. *pag.* 161. 162. 163. *cum lit. P. verb. Prophetii* 39. *pag.* 630 *et* 631.

46 *Sextò* quidam Joëlis caput tertium adcommodare tentat ad passionem & mortem Christi, qui loco omnium gentium in valle Josaphat judicatus, & inde salus Ecclesiæ, securitas & summa felicitas parta sit. Cujus opinionis author est Joh. Winckelman. *in comment.* referente Joh. Tarnovio *in comment. super Joël. cap.* 3. *pag.* 136. *in fin.* ubi ex Mariana non modò quærit, numne totum hoc caput de Sennacheribi expeditione ac clade intelligatur, quē judicavit, Dominus in valle Josaphat prope Jerusalem, occisis ejus copiis? 2. *Reg.* 19. *v.* 35. Sed etiam sub eo typo annon judicii extremi dies intelligatur, de qua mox plura. *Septimò*
47 alii † per vallem Josophat intelligunt Ecclesiam & vocationem Gentium ac prædicationem Euangelii: nec de pugna externa & armis

mis seu viribus humanis, sed spiritualibus per verbum & fidem illud capiunt. Singulas opiniones promiscua serie videbimus; idque fieri melius nequit, quam si cujusque doctoris integra verba in medio ponam, nemini que in referendo alium sensum adfingam: sed lectori electionem relinquam. Sic itaque scribsit †. 48 Johannes Chrysostomus, episcopus constantinopolitanus: *Quid times pœnitentiam, ô homo, sine qua non est vivere, nec Deo placere? Clamat Hieremias, compunctus pro populo: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & flebo vulnera populi mei? Sciebat enim quod lacrymæ juvarent populum transmigratum: sciebat, quod ejus fletibus subveniret: sciebat quod Deus contritionem quærit & fletibus flectitur: sciebat quod Deus lugentes lætificat & pœnitentibus præsto est. Ideo prophetandi locum quærebat remotum, ut usque ad vallem pertingeret lacrymarum, quam Deus amat, quam Christus amplectitur. Vallis est remotis fletibus discreta, quæ dicitur Josaphat, in qua judex cœlestis populos discutit, & omnes gentes examinat. Disposuit in convalle fletus. Est enim vallis hæc propter pœnitentiam exoptanda. Publica enim & secreta est. publica est ad futuri judicii pœnam & secreta est propter salubres pœnitentiæ lacrymas &c.* Ita Chrysost. *in serm. de pœnitentia tom. 5. operum latinè convers. pag. 573.* Idem alibi hoc quasi ab ovo repetit, & simul insigni doctrinâ exornat de

de peregrinorum auxilio; quæ facit ad politicorum & JCtorum gravissimam † quæstionem
49 apud Oldrad. de Ponte *consil. 71. incip. Nunquid Christianus* Ant. Corsetum *tr. de potest. regia in 4 part. princ. nu. 37. in 88. quæst.* Joh. Lupum *in tr. de confœder. princip. §. 1. per tot.* Mart. Laudensem aliâs Garatum *tr. de bello quæst. 3.* Octav. Cacheran. *in sing. disp. post decis. pedemont.* Liutprandum *lib. 1. histor. cap. 5.* Marq. de Susannis *tr. de Judæis aliisque infidelib. part. 1. cap. 6.* Tib. Decian. *resp. 20. vol. 3.* Cels. Mancinum *tr. de jure principat. lib. 6. cap. 13. usque ad cap. 21.* Dn. de la Nove *disc. rer. polit. & milit. 21.* Num videlicet Turcæ vel alterius infidelis auxilium implorare, vel cum eo super mutuo auxilio fœdera inire liceat? verba patris ex græco translata hæc sunt: *Asa genuit Josaphat 1. paral. 3. v. 10 qui interpretatur Dominus judex; puto quod Asa pater ejus, cum propter justitiam ejus cum Dominus prosperasset in omnibus, & inimicos ejus confregisset ante faciem ejus ut scriptura testatur. 3 Reg. 15. quasi in ipso nomine filii sui confessionem offerens, Deo judici justo vocavit eum, Dominus Judex. Nam verè justi judicis est, benè agentem remunerare, & negligentem corripere, sicut fecit Deus Asa*, Quod pater iste pluribus ostendit ex *2 paral. 6. & 4. Reg. 18.* adjiciens: *Eandem ob differentiam, eum in senectute pedibus laborasse, sicque in eo etiam dominum exstitisse justum judicem. 3. Reg. 15.* *Nec modicum* (pergit) *justitiam suo-*

*fei vorum suorum sine remuneratione relinquit, nec
modicam culpam sine correctione dissimulat. Sed
& in filium ejus † Josaphat, qui hoc nomine voca-* 51
batur (& justus dicitur, non quod omni vitio
caruerit; sed quod majori parte virtutum cō-
mendetur, authore Hieronymo *in epist. ad
Ctesiphont. contra Pelag. tom. 2. oper. pag. 257.*) *ju-
stus extitit judex, quoniam & ipse consummatus
fuit sicut pater ejus Asa & adhuc amplius. Pro-
pter hoc & dominus iustus judex amplius adhuc
exultavit & glorificavit Josaphat, quam patrem
ejus Asa: ita ut omnes reges in circuitu munera ei
offerrent, quemadmodum Salomoni. Sed tamen
quum fecisset † amicitias cum Achab, & dedisset* 52
*ei auxilium descendenti ad bellum; circumdede-
runt eum currus et cum jam periclitaretur occidi,
exclamavit ad dominum & eripuit eum. Cum au-
tem interfecto Achab reverteretur in Hierusalem
misit Deus ad eum Jehu prophetam, filium Ana-
niæ dicentem: Si peccatorem illum adjuvisti & il-
lis qui oderunt Deum amicus es & in hoc super te
ira a facie domini descendisset, nisi sermones boni
inventi fuissent tecum quoniam abstulisti ludos de
terra Juda, et parasti cor tuum ad requirendum
dominum. 2. Paral. 19. Vides quia nec dare opor-
tuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis recipere?
Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis
Dei docet nos supra dicta historia de Asa. Quo-
niam verò nec dare, instruit nos hæc scriptura de
Josaphat. Qui enim petit auxilium ab inimicis*

Dei

Dei, de auxilio Dei desperat, utiliores (aut validiores) sibi existimans inimicos Dei, quam Deum. Qui autem dat auxilium inimicis Dei, *adversatur Deo. Deo enim volente contere inimicũ suum, ipse eum defendere tentat.* Sic ille, *homil. in cap. 1. Matth. tom. 2. oper. pag. 484.* Ex patribus succe-
52 dit † B. Hieronymus, qui dicit, miserabiles Judæos sibi juxta literam quædam felicia repromittere: se verò in tropologica explicatione pergere. Quare hunc locum Joelis ita explicat: *Nomen* (יְהוֹשָׁפָט) *& verba ista juxta superiorem sensum bifariam interpretantur. Alii enim gentes ascendere in vallem Josaphat, quæ interpretatur Domini judicium: & sedere ibi Deum, ut dijudicet omnes gentes, quæ de circuitu veniunt: in bonam partem intelligunt, quò scilicet sancti contra adversarios congregentur: & mittant falces suas, & maturam hostium messem demetant: & veniant atq; descendant, calcentq; torcularia; quia adsit vindemia & in tantum musta exuberent, ut torcularia capere non possint. Et ut sciremus, quæ sit vindemia, plenumq; torcular, intulit, multiplicata est malitia eorum: haud dubiũ quin eos significet, qui contra Dominum congregati sunt. Alii autem consurgere gentes & convenire in vallem Josaphat: & sedere Dominum, ut omnes judicet nationes, ideò afferunt, ut parent se & assumant universa arma pugnantium: & in valle Josaphat Domini falcibus demetantur. Venisse enim contra eos tempus judicii: & in tantum eorum crevisse mala,*

la, ut Dei vincerent patientiam. Nam & Amorrai tunc expulsi sunt, quando expleta sunt peccata eorum. Judæi istum locum ad Gog & Magog gentes sævissimas referunt: de quibus supra diximus, arbitrantes ultimo tempore, quando Hierusalem fuerit instaurata sub mille annorum imperio contra Dei populum esse venturas: & in valle Josaphat, quæ ad orientalem partem templi sita est, esse sævituras: advenisse enim tempus occisionis eorum & effundendi sanguinis instar vindemiæ. Hactenus B. Hieron. *in comment. ad Joel. cap. 3. tom. 6. oper. pag. 83.* Viciniore ævo doctissimus † Sebastianus Munsterus ejusdem prophetæ caput ita exposuit: *Quidam Hebræorum* (quos tamē novissimè refuravit Tarnovius *in d. comment. super Joel. cap. 3. pag. 138. & 139.*) *exponunt hunc locum de bello, quod contigit sub Rege Josaphat. 2. paral. 20. ubi describitur mirabilis victoria contra Moabitas, Ammonitas & Assyrios, unde vallis illa putatur, postea vocata vallis Jehosaphat. Alii putant hanc prophetiam impendam tempore Meschiæ, quem inani spe exspectant, quando Gog & Magog prope à Meschia interficietur. Ex nostris plurimi intelligūt hunc locum de judicio extremo. Alii intelligunt de probatione & bello Christianorum de quo dominus potenter suos liberaturus erat. Nam nomine Jehuda intelligitur populus, qui est de regno Christi. Et quidem † Jehudæi maximi erant persequutores nascentis Ecclesiæ: quos cum Dominus, per Romanos in miseram re-* 53 54

degit

degit servitutem, trucidatis plurimis, aliquo modo judicium Dei visum est. Quid si ergò de subsequentibus persequutoribus cunctis idem permaneret judicium & vindicta? cum cætera prophetæ verba, *Quam dispersérunt in gentes*, hoc modo explicet: *Persecuti sunt Jehudæi, apostolos & alios Christianos de civitate in civitatem, & mirum in modum afflixerunt. Sed & reliqui filii hujus seculi contemptibiliter egerunt, vendentes eos absque misericordia, mittentes pro eis sortem, ludentes pro eis, ut etiam pro precio quosdam venderent, pro scorto erat. dandũ. Ideò hîc dicitur in textu:* Quid mihi & vobis &c. *Quasi dicat, putatis posse mihi damnum inferre in electis meis? sed debiliores estis; & si vos afflixeritis, bene ulciscar de vobis; & quod abstulistis aurum ac pretiosa de terra mea, ego de hoc aliquando sumpturus sum pœnam. Vocat quoq; Sanctos suos thesauros pretiosos, Propheta similiter pergit:* Vendit fil. Græc. *h. e. quod proscripsistis & in orbem expulistis apostolos & sanctos meos ecce ego quoque propter eos justo judicio meo tradam vos gentibus. Et nota, cum his di-*
5 *catur † Ecclesia pugnare et arma capescere, non est sic intelligendum, quod ecclesia ipsa hoc externum gerat bellum: sed cum Deus vindictum sumit de persecutoribus ecclesiæ, & excitat hostes contra eos, sicut Titum & Hadrianum excitavit, dicitur Ecclesia id facere cum tamen illa per se hoc non faciat.* Verborum autem, *Indicite bellum &c.*

erit hunc sensum efferat, notabilem & præsenti seculo rursus consolationis plenam prosopopœiam introducens: *Vos persecutores Ecclesiæ, etsi multa machinaturi sitis contra electos meos, ut illis varia struatis pericula, insidias, cædes, persecutiones & bella, ego tamen vobis omnibus tandem superior ero. Permitto credentes meos aliquamdiu periclitari, siquidem omnes, Qui in Christo piè vivere volunt, persecutionem patientur: sed in finem non derelinquam. Futurum est tandem, ut vindictam sumam & traham in vallem Jehosophat h.e. judicium meum.* Hucusque Munsterus *in bibl. hebraic. in schol. seu annotat. super Joël cap. 3. pag. 532.* Novissimè † Immanuel Tremellius & Franciscus Junius de hoc negotio ita loquuntur: *Est ibi enarratio judiciorum Dei, quæ contra gentes instituere, & Ecclesiam liberare & instaurare, velutque judex omnes adversarios coram se & in conspectu totius ecclesiæ sistere vult, quemadmodum convallis Jehoschaphati (quæ nomen habuit a victoria insigni, de qua 2. Chron. 20.) sita erat proximè Jeruschalaima in conspectu urbis ipsius; sicque ostendit Deus sanctos mundum judicaturos esse, 1. Cor. 6. v. 2. sumto typo ex constitutione veteris ecclesiæ, quæ definiebatur Tzyone & Jeruschalaimis, ut propheta dixit, cap. præced. 2. v. 32.* Sic illi in notis marginalibus *ad Joël. h. c. 3. v. 2.* Eandem sententiam esse Calvini ac Danæi indicat Tarnovius, quod scilicet propheta typicè & per metalepsin loqua-

 tur,

56

tur, quod velut Josaphat in valle benedictionis insigni potitus est victoria cum parvis copiis, ita etiam licet hostes ecclesiæ sint plures & potiores, attamen Deus suos fideles efficiat superiores, qui hoc beneficium semper sunt percepturi, *de com. sup. Joël. c. 3. p. 139.* Ple-
57 raque ex his etiam sequuti fuerunt † Wigandus & Lucas Andreasque Osiandri, dicentes: *Sita est hæc vallis inter Jerusalem & Olivetum. in hac valle Josaphat fudit hostes populi Dei, 2. parap. 20. Unde & nomen accepit. Josaphat enim judicium Dei significat. Unde per allusionem propheta ultionem divinam depingit. Quia verò Dominus in ultimo demum judicio, plenam de hostibus vindictam sumet: ideo Doctores multi hunc locum de extremo judicio (quod nonnulli in valle Josaphat futurum putant) interpretantur.* Hæc Osiander habet *in gloss. ad Joeld. cap. 3. v. 2. cum seqq.* nec non eadem opinio est Lyræ ac Riberæ, teste Tarnovio *d. c. 3. pag. 139. & 140.*
58 ubi adfinia subnectit, quæ opinionem de † ultimo judicio confirmant. Ac sanè ea abs re stabilita haut videtur; cùm ob alias causas, quas Chemnitius, Lyserus & Brocardus tacitè pluribusque judicant, citatis locis, tum quod apostolus Petrus nominatim hunc Joëlis locū in publica concione & magna conversione adducat, de fine mundi, præviisque signis & illustri Domini die, ac de Jesu Nazareno à Judæis interfecto verba faciens *Actor. 2. v. 17. 18.*

19.20 21.22. denique Johannes Theologus de ultimis temporibus vaticinium nobis relinquens introducat Christum equo albo insidentem, eumque fidelem ac veracem quive cum justitia judicet ac pugnet, vocitet, acuto nempe gladio percutiens gentes & eas gubernans virgâ ferrea, ingenti exercitu cœlicolarum stipatus, tanquam Rex regum Dominusque dominantium *Apocal.19.v,11.13 14.15.16. juncto cap.20,21.22.* ubi faciem regni Dei & Sanctæ Hierusalem depingit.nec non congregationis ejusmodi judicialis (qualem Joël ibi depingere videtur) meminit *Matth. cap.25.* hocque ad vallem Josaphati,judiciumq; Christi transfert Greg. Strigenitius *in postil, Evangel. super Domin.25. post Trinit. conc.1,pag.1008.* nec in totum improbat, sed quod tam de liberatione & vindicta in hôc,quàm futuro seculo illius propheta verba sint intelligenda, docet Joh. Tarnovius *d.comment.super Joel.cap.3. pag.134.& 135 juncta pag.136.* ubi suâ & Winckelmanni mentem ulterius exponit,cujus memini *sup.num.46.* nec non idem Tarnovius superiores opiniones conciliare tentat *d.c. 3 p. 140.& 141.* Pergo ad alios. Martinus † Lutherus, in obscuratæ religionis renovatione 59
heros magnanimus & in ejusmodi sacris mysteriis interpres felicissimus, ab istis secessum fecit. In præfatione namque germanica super prophetam Joelem hæc verba posuit: Da

er vom Thal Josaphat spricht/wie der Herr alle Heyden daselbst zu Gericht fodern wölle / welches die alten Väter vom Jüngsten gericht verstehen / vnd ich solchen verstand nicht verdamme / (sicuti etiam ad marginem *cap.* 3. hæc notat: Merke das alle straffe vnd gericht Gottes vber die bösen geschicht / vmb der frommen willen / daß Jüngst gericht auch also) halt aber dannoch das Joels meinung sey / gleich wie er das ewige Jerusalem die Christliche kirche heist Also heist er auch dieselbe das Thal Josaphat/ darumb daß alle welt zur Christlichen kirchen durchs wort gefordert / vnd in derselbigen gerichtet vnd durch die predigt gestraffet wird / wie sie allzumal sünder vor Gott sind / wie Christus spricht: der Geist der warheit wird die welt straffen vmb die sünde / den Josaphat Thall / heist Gericht Thal/gleich wie auch Hoseas im 2 cap. die Christliche kirche daß Thall Achor nennet. Ubi vide notas Lutheri & Osiandri marginales. Idem verò megalander ac theander Lu-
60 therus Joelis locum † alibi hisce verbis exponit, & quædam ex superioribus refutat: *Tum congregabo omnes gentes &c. Id quod nunquam factum est corporaliter & quomodo etiam fieri posset, ut omnes Gentes in locum illum tam angustum cogeret? Est enim vallis Josaphat inter Hierusalem & montem Oliveti angusta omnino comparatione omnium gentium. Quare non possum cum illis sentire qui referunt hunc locum ad ex-*

tremendum judicium, quod Dominus in valle Josa-
phat sit judicaturus omnes gentes. Quos enim ur-
gemus angustiâ loci, referunt se ad totam regionem
illam circumjacentem Hierosolymam. Quod ut
maxime concedamus, tamen manet eadem absur-
ditas. Totus enim † orbis terrarum vix sustine- 61
re poterit innumerabilem illam omnium hominũ,
qui unquam à principio Mundi vixerunt, copiam
nedum Judæa. Siquidem alii in terris erunt, alii in
nubibus volabunt 1. Thessal. 4. Ergò absurditate
cogente, ad mysterium est referendus locus, Lite-
ra enim non constabit. Quare nos de prædicatione
intelligemus, quæ congregat omnes gentes, & vocat
eas ad judicium, annunciat eis terrorem, & judi-
cat eos esse damnatos, ostendit in Christo salutem.
Et hoc factum est, indiesque fit à die, quo missus
est Spiritus sanctus cœlitus, de quo supra dixit cap.
2. ut sic vocatæ ad judicium agnoscant peccatum
suum, orentque veniam. Omnino enim † vo- 62
cabulum Jehosaphat, non est nomen substantivũ,
sed proprium; quo tamen abutitur hic propheta
substantivo. Sicut & Osea fecit quando nomen
Galaad civitatis, accepit pro Synagoga. Significat
autem Josaphat vallem judicii. Congregare igitur
in vallem judicii, idem est quod dicit Christus;
Spiritus sanctus arguet mundum de peccato &c.
Joh. 16. Loquitur ergo propheta de vocatione gen-
tium per Evangelium ad Ecclesiam Dei. Hæc
Lutherus in comment. super Joel cap. 3. tom. 3.
per. latin. Jenen. pag. 491. Si quis adhuc alia

desideraverit, quæ scrupulum movent, is adhibeat eum in relatione seu repetitione ejusdem capitis, ubi hæc verba ponit: *Hic locus ab interpretibus omnibus quorum quidem scripta extant, involutus magis, quam explicatus est. De Judæis nihil dico, qui, quod vallis Josaphat propheta meminit, ad historiam 2. paral. 20. hunc locum accommodant. Nostri autem ad vastationem Synagogæ aut ad ultimum diem omnia referunt. Sed legenti facile apparet, neque cohærentia nec apta ab eis dici. Ac sane quid eos impediverit, quo minus, quod verum est, cernerent, ipsi ostendunt. Omnes enim in eundem impingunt scopulum, & intelligunt gentes ad judicium*
63 *pœnæ colligendas. Ac sanè † judicii vocabulum apud nos atrocius sonat, quàm apud Hebræos* (sicut etiam verbum judicandi Hebraico more non significare gubernationem, sed administrationem regni Messiæ in Ecclesia, quomodò inducat vide Chemnitium *d. harmon. Evangel. cap. 46. pag. 178*) *Quia autem accedunt illæ figuræ tristiores, de vendendis gentibus, de expromendis falcibus, quodque malitia invaluerit, omnes in eam sententiam delabuntur, ut prophetam de judicio iræ intelligant; quanquam tempus quod attinet, variant: Siquidem alii exponunt judicium, vastationem per Romanos factam, alii ultimum diem. Sed diligentius intuenti prophetiam ipsa orationis series sententiam ostendit. Postquam enim Propheta dixit, salutem in monte Zion & Hierusalem*

salem futuram, facit mentionem quorundam aliorum, qui salvantur, etsi in monte Zion & Hierusalem non sint. Et in reliquiis inquit, salvatio erit, quos dominus vocat. Hic primo clarum est hos, quos vocat (Scharidim) reliquias discerni a Zionitis, seu Judæis etiam ipsâ vocatione. Nam † Ju- 64
dæis promissio de semine facta est. Sicut autem in parabola Evangelii, postquam Judæi venire ad nuptias & ad cœnam recusant, servus mittitur novo mandato ad illos qui extra civitatem in compitis habitabant: ita hîc dicit propheta futurum, ut Dominus alios quoque vocet extra ecclesiam, ut colligantur ad Ecclesiam, & ipsi quoque salventur. Ita sine dubio hæc particula ad gentes pertinet. Quæ autem subjungit propheta: Quia ecce in diebus illis &c. ea sunt quasi explicatio hujus brevis dicti de vocatione gentium. Ostendit enim quomodo, et quo tempore, hæc gentium vocatio sit exspectanda. Ita cohærere sententiam pulchre vides, si hanc totam prophetiam gratiæ referas non ad judicium iræ. Disertè enim dicit vocandas
gentes in vallem ad † Domini judicium. Hoc enim 65
significat vox Josaphat, quæ hoc loco non propriè, sed appellativè significat. Hominum enim hoc judicium est, ut peccata sequantur sua pœna. Hoc enim non solum lex Mosis, sed ipsa quoque ratio dictat. Sed Domini judicium aliud est, judicantis per Evangelium suum, & condonantis propter Christum peccata credentibus, et donantis Spiritum sanctum & vitam æternam. Hoc est Domini judicium, de

66 *quo hoc in loco prophetæ suavissimè.* (nam † Joe-
lem diversum in arguendo morem obtinuis-
se, placidis verbis impios ad Deum convertere
studentem; alios autem prophetas peccata
hominum acrius taxasse, ex Wellero respon-
det, hocque ad ardorem animi & vehemen-
tiam hujus Lutheri transfert, Osiander *in gloss.
ad d. 2. paral 24. v. 20.*) *concionatur. Primum,
peccata gentium commemorat, addit postea de pœ-
na, quod vicissim sint vendendæ per Judæos Sabæis.
Tertio, hortatur Doctores Ecclesiarum, ut tan-
quam in ubere messe strenuè laborent in vinea Do-
mini. Ultimò addit amplissimas promissiones, qui-
bus Ecclesiam in hac vita subjectam cruci (nam
sanguinis meminit) consolatur. Ad hunc mo-
dum tota orationis series pulchre inter se consentit;
quam interpretes, tum veteres, tum recentiores
sic involverunt, ut ipsos sequenti impossibile sit ve-
ram sententiam deprehendere.* Hæc sunt quæ
Lutherus diffundit *in ræmet. ad cap. 3. Joël. tom.
4. oper. lat. Jen. pag. 739.*

Qui plura scire cupit, is legat ipsius com-
mentarios utroque loco. *Septimo* has o-
67 piniones † Christianus Heroldus ex parte,
obiter tamen refert, inque fine novas hujus
provocationis Josophaticæ rationes adducit,
quando scribit: *Nomen latet ad modum & ob-
scurum est, nisi quod adsensu magis scripturæ,
quam testimonio probari possit; sive existo Joelis
prophetæ dicto judicium in valle Josaphat celebra-
tum*

*tum iri ſtatuerint, quæ quidem divi quoq; Chry-
ſoſtomi opinio eſt; ſive cum Thoma Aquinate, Bo-
naventura & ſententiarum Magiſtro* † *idem ju-* 68
*dicium in monte Olivarum, ad cujus radices eſt
vallis Joſaphat (quod probare conantur ex Actis
apoſt. cap. 1. v. 11.) exſpectent; ſive huic citationi
cauſam dediſſe comminentur (ſicut nuperrimè Jeſuita
quidam Weſtphalus voluit,* quem non nomi-
nat: ſed eſt Joh. Norderman. *in d. diſſert. de jure
principat. concl. 51.) liberatione Joſaphati à perſe-
cutione Syrorum 2. Chron. 20. ubi in hac valle poſt
redditum Deo gratias egit, & ubi ſpolia hoſtium di-
viſit* (inde dicta daß Lobethal) *ſive, quod Chri-
ſtus aggreſſores, ex hac valle in ipſum irruentes,
virtute oris hic proſtravit; ſive quod ex eorundem
manibus diſcipulos ſuos hic eripuit, propterea inſo-
lens hic citetur adverſarius, ut ſimilem Syris ac
Judæis vindictam experiatur; ſive denique ut re-
cordatione hujus & proximæ vallis Gehinnon, Ju-
dex, æterni cruciatus memoria ab inique lata ſen-
tentia deterreatur.* Sic ille *in d. diſſert. de provo-
cat. ad vall. Joſaph. pag. 6.* Quæ poſteriora cla-
rius lector poteſt intelligere † ex M. Ruperto 69
Erythropilo, Paſtore ad D. Georgii & Jacobi
Hannoverano, qui vallem Gehinnon & tor-
rentem Kydron in hiſtoria paſſionis domini-
cæ ſic deſcribit: So viel die örter belangen
thut / da Chriſtus durchgewandert / ſagen die
Evangeliſten / Jeſus gieng hinauß vber den
Bach Kydron. der thall Kydron wird genant /
wel-

welcher ist ein elender thall der kinder Hinnon / da man weiland Moloch dem hellteufel die kinder lebendig geopffert hat / wieder Gottes gebott / ist ein finsterer ort gewest / da vieleicht einer (Hannon genant) gewohnet / oder ist der erste gewesen / der dem Moloch seine kinder geopffert daher der ort seinen namen bekommen / Christus nennet von dem ort die helle Gehennam. Matth. 5. weil in König Josaphat sein begrebniß alda gehabt / wird er genant daß Thall Josaphat oder des Gerichts Gottes / daher der wahn kommen / daß Gottes sohn das letzte gerichte an dem ort halten werde. An dieses thals seiten sein hohe berge gewesen / darauf Oel, vnd Palmbeume so dicke gestanden / daß die Sonne nicht hat können hindurch scheinen / daher dieser thall ist finster vnd kalt gewesen / daselbst soll das irrdische Paradeiß gewesen sein / da vnsere großeltern vnter die Mörder gefallen waren vnd durch die sünde schädlich geplündert vnd verwundet. Auß dem lustigen ort war nun der Raubthal Hinnon gemacht worden. Eß hatten auch an diesem ort / wie gesagt beyde Juden vnd Heyden ihre kinder dem Moloch vnd Hellteuffelen auffgeopffert. Psal. 106. Nicht weit von diesem berge war der berg Maschit 1. Reg. 11. Auff welchem Salomon seinen außlandischen Weibern Gotzenkirchen aufgebawet hatte vnd vnsägliche ergernüsse angerichtet. Welche Baals altare Assa vnd Josias haben niedergerissen vnd sambt den

Psal.

Pfaffen verbrand vnd in den Bach Kydron geworffen. 1. Reg. 15. & 2. Reg. 20. In dem thall war ein kleiner schwartzer strudel vnd schlammiger Regenbach / der floß mit vngestühm neben der Stadt herunter / welcher nahm seinen vhrsprung auß einem berg gegen mittag. In diesem Bach fiel herunter von Morienberg ein strom auß dem Schaffteich Siloah / vnd auch daß Tempelwasser / welches mit röhren hinauff auß dem teich Siloah in den tempel geleitet wart / daß man das opfferblut damit abwüsche / welches durch heimliche reñen / so könig Josias hatte machen lassen / wieder abgeführet ward / floß auch herunter in diesen Bach Kydron / da aller schlamm vnd vnflath von allen gassen vnd auß allen heusern der Stadt lieff herunter in diesen bach / alß in ein schlamkisten / vber diesen bach gehet er nun (der Herr Christus) Psal 110. De torrenti in via bibet. Hactenus Erythropilus *in postil. passion.* Adstipulatur prædictus Nordermannus & ultimæ opinionis Heroldinę author est hisce verbis: Christus simili ratione innocentem & miraculosum auxilium exspectantem, ut olim Josaphatum & Discipulos, si velit, eripere ac persequutores iniquos prosternere, vel suo tempore injuriam vindicare ejusq; innocentiam declarare potest. Atque hoc modò sæpè deterrentur iniqui homines, præsertim si ipsis terror incutiatur futuri judicii & æterni cruciatûs. Qui terror

ror in iisdem augetur, si proximam vallem Ge-
70 hinnon (qui à Christo passim in euangelio †
Gehenna vocatur & Infernum indigetat) in
memoriam revocaverint. Est autem hæc
vallis ad montes Moriæ (in quo olim jussus A-
brahamus immolare filium Isaacum, Gen. 22.)
radices, prope Jerusalem & non longe à valle
Josaphat, ubi olim Judæi Molocho seu Satur-
no, Ammonitarum idolo, filiolos suos sacrifi-
cabant. Quod altare pius rex Josias destruxit
& detestandum cultum sustulit, illuc trans fe-
rendo ingentem ossium mortuorum acervũ,
ut ita subditos ab immanissima idololatria de-
terreret. Postmodum omnes urbis sordes il-
luc deportatæ. Unde ad similitudinem infer-
nus fuit adpellatus Gehenna, à terribili adspe-
ctu: quemadmodum vallis Josaphat divinum
judicium & vindicta dicitur, à miraculoso au-
xilio. *Norderman. d. concl. 51.* Quæ ulteriorem
lucem capiunt ex Matthiæ Martinii *lexic. phil.*
verb. Gehenna fol. 1007. *cum seq.* inprimis verò
ex Chemnitii & Lyseri *harmon. Euangel. lib.* 3.
cap. 51. *pag.* 346. *&* 347. *juncto cap.* 61. *pag.* 336.
& 337. *cum hoc meo discurs. num.* 30. 31. *&* 79.
In his omnibus quilibet suo sensu abundet, &
ne falcem in alienam messem nimis mittere
71 videar, quidquid horum sit † ego *octavo* me-
diam sequor viam (per quam quæstio dirimi-
tur *arg. l.* 1. *§. si heres D. ad Trebel. Menoch. lib.* 1.
præsumt. 92. *nu.* 27. *Dn. Anton. Hering. de fidej.* §.

cap.

cap. 6. nu. 92.) certum nempe inter doctores esse hactenus induximus, locum Joelis de aliquo judicio fore intelligendum; præteritum sit in populo Judaico & per analogiam propter Christianos vi oppressos adhuc instituendum à summo rerum arbitro, futurumque dicant in hoc vel altero seculo, quamvis non tam angusto loco, sic potius tropologicè dictos, vel etiam judicium Dei distinguant, per me licet. Utroque tamen pii sua præmia & impii condignas pœnas consequuntur: sicque tutius est statuere aliquid, nullius partis sententiam offendendo, quàm in ejusmodi ambiguis prorsus otiosus abire vel ad specialia extrema descendendo scrupulum unum alterumque superaddere. Communior sanè pars sentit de vindicta à persequutoribus sumenda, & solam Euangelii propagationem (de qua antea actum) vix admittunt totius † contextus 72
Joelitici verba, quæ satis duras spirare legi operationes ipse Lutherus est fassus; tum si quis posteriora Apocalypseos capita aliis cum S. Scripturæ locis hìc adhibuerit, magnam consonantiam rerum & verborum deprehendet, *juncto sup. num.* 57. 58. 59. Sicut etiam gentium vocatio tempore Apostolorum impleta fuisset aut nova ante finem ævi restaret, sicut Philippus Nicolai pluribus deduxit, sonum Euangelii per totum mundum adhuc semel ante ejus finem transiturum, *d. lib. seu histor. de regno*

Chri-

Christi. Et ante extremum judicium ſanctos diu cum Chriſto alium ſtatum habituros, deq; hoſtibus & inpiis triumphaturos, multis induxit, Joelemque eo conlimare & ipſius prædictionem nondum habere finem, inter cætera dixit Jacobus Brocardus *d. lib. de prophetia ſecũ. adven. Domin. pag 93. cum præcedd. & ſeqq. juncta pag. 69. & 70.* Ubi duabus vicibus claré perhibet, nos adhuc nondum vidiſſe judicium vallis Joſaphat, prout hìc apud Joelem deſcributum reperitur. Quæ omnia reſiſterent, niſi quis ſeveriorem hujus judicii explicationem admiſerit. Ipſe quoque rex Joſaphat non modò vallem benedictionis nuncupavit (qualem denominationem ad multos usque annos perduraſſe ſupra relatum eſt) ſed etiam
73 paulo ante † judices conſtituit, & iis hanc inſtillavit doctrinam ut videant, quid faciant; ſe enim nõ hominis, ſed Dei exercere judicium, cum ſimilibus 2. *paral ſive Chron. 19. v. 6. 7. 8. 9. cum cap. 20. v 26 juncto ſapien. 6. v. 2. 4. 5. 6.* Utrumque adfinitatem habet, & tam in Iſraelitico quàm alio populo forenſe vocabulum judicii aliud leve ſapere haut veriſimile ulterius
74 exiſtit: cum propter ipſius † vocis Joſaphati etymon & nomen pararellum (tam יְהוֹשָׁפָט, Jehoſchaphat enim quàm יוֹשָׁפָט, Joſchaphat, ſignificat dominum judicem & domini judicium, itemque judicatum eſſe vel judicationem; etiamſi nomina propria ſint facta,

præ-

præeunte Bened. Aria Montano *d. tom 8 bibl. reg. in interpp. nomin. heb. chald. & græc. lit. I. v. Josaphat*) tum quod alii interpretum Hebræorum † hoc loco censeant, nomen Jehoschaphat esse duo vocabula, quorum alterum inter Dei propria, alterum sit adpellativum, ad formam proprii nominis coagmentatum elegantiæ causâ, velut Rabbi Salomon & R. David Kimchi adnotant, utrumque tamen & justitiam denotare, nemo it inficias. Quomodò autem in tam solenni actu & ritu vindicta illa exercetur, nisi severitas judicis advenerit, omnesque circumstantias inpleverit, quas propheta hic integro capite prędixit? Inde factum puto, quod ipse Lutherus citatâ *præf. super. Joel.* opinionem de severo Dei judicio, in futurum exercendo, per omnia inprobare nequiverit, quam Apostolis vicinior tenuit antiquitas. Præter hæc † ipse propheta se videtur declarare, quando vallem Josaphat prius dictam, postea nuncupat vallem & diem judicii, *Joel. h. c. 3 v. 12 14. 17. 18.* Juxta B. Lutheri translationem dicitur, der thal vnd tag des vrtheils; qui potius altero sensu benigniore diceretur, der tag vnd thall des heilß/cum tamen scribtura passim à monte, & non valle salutem descendere testetur, *juncto sup. num. 29. usque ad num. 36.* Chaldæus vertit: *In vallem div sionis judicii.* ita & Theodotio est: Εἰς τὴν χώραν τῆς

κρί-

75

67

κρίσεως. Et consentit is sibi altero loco, ubi ex Hebræo: *In vallem concisionis*, aut etiam *decisionis* (utraque sane vox severitatem & actum judicialem denotat, ad exteriora causæque definitionem usque provenientem) vertit: Ἐν
77 τῇ κοιλάδι τῆς κρίσεως. Eadem hic † Munsterus ita effert: יהושפט *sonat judicium Dei. Non igitur oportet intelligere de valle, quæ prope Jerusalem habet situm; licet ob exercitium Dei judiciū in eo loco, in generali eo inseruit vocabulum. Pro valle Intercisa Chaldæus interpres habet:* פילוג מישר *planicies divisionis. R. Kimchi vero exponit:* ענין גוירק *quod in judicio discernantur mali à bonis, juxta illud Matth.* 13. (juncto Apocal. cap. 14. usque ad v. 20.) *Exibunt angeli qui habent falces, & seperabunt malos de medio justo-*
78 *rum.* Sic iterum ille. Pluribus hoc exhibet † B. Hieronymus, dicendo: *In eo loco, ubi nos posuimus, populi populi, & LXX. transtulerunt,* ἦχοι ἐξήχησαν *h.e. sonitus exauditi sunt, in Hebræo scriptum est,* הֲמוֹנִים הֲמוֹנִים *quod utique multitudinem & turbas eorum, qui judicandi sunt, non strepitum sonitumque significat. Rursum ubi nos diximus:* in valle concisionis, *sequentes translationes Aquilæ & Symmachi & quintæ editionis, Septuaginta & Theodotion* τῆς δίκης καὶ τῆς κρίσεως *i.e. causæ & judicii* (velut quoque vulgata versio conjungit has voces *Judicium & causam Domini*, ubi agit de judicibus à Josaphato constitutis, *2.paral.19,v.8.*) *transtule-*

runt

runt, pro quo in Hebraico est scriptum: חָרוּץ † 79
quod Hebræi non solùm Concisionem, sed & aurum interpretantur, quo scilicet in valle judicii quam suspicantur Gehennam, excoctis sordibus peccatorum, purum aurum remaneat. Idcirco autem gentium, de quibus supra diximus, in valle judicii sive concisionis, populi congregantur, ut interficiantur & corruant & à domino judicentur. Cujus mærorem diei & tormenta pereuntium, ne † sol 80
quidem & Luna astraque cætera poterunt intueri, sed retrahent fulgorem suum & severitatem judicantis; reddentisque unicuique opus in caput suum aspicere non audebunt. Non quod Clementiora sint quam Dei judicia: Sed quod omnis creatura in tormentis aliorum de suo judicio pertimescat. &c. Quibus interjectis pergit: *Hæc*
† Judæi & nostri, ut diximus, Judaizantes ad mil- 81
le annorum fabulam referunt, quando putant Christum (Messiam) habitaturum in Sion & in Hierusalem aurea atque gemmatâ sanctorum populos congregandos; ut qui in seculo oppressi sunt ab universis gentibus, in hoc eodem cunctis imperent nationibus. Hucusque iterum Hieronymus *d. comment. ad Joël. cap. 3.* Audiamus etiam † Lutheri nostri cogitationes, qui ita scri- 82
bit: *Hamon, Ebraicè multitudinem significat, & hic pluraliter usus est propheta, quasi dicat: Multæ turbæ videntur. Ideo neutiquam de solo Judaico populo possunt ista intelligi; siquidem tam copiose & evidentissimis verbis omnia sunt con-*

scripto. Vallem concisionis vocant vallem Josaphat,
83 *Hæc vox est in Ebræo* † Cheruz (alibi legit, Charuz) *quam Paulus Rom. 9. sic transtulit: Verbum breviatum faciet dominus super terram. Significat autem propriè, certò definire, abbreviare & quod nos dicimus*, kurz fassen. *Ita hic in valle definita, certa & limitata (id quod noster interpres per verbum concisionis male reddidit.) Latini enim concisum non vocant definitum aut certum & abbreviatum: sed sectum & resecatum in multas partes. Hac voce usus est & Daniel in describendo Antichristo cap. 12. Et tempora vitæ constituta essent ei usque ad tempus & tempus. Hæc ergo vallis Ecclesiæ Christi est, ut supra dixi.* Ita in priori *comment. super h. c. 3. Joel. tom. 3. op. lat. Jen. pag. 493.* Verùm hæc fusius tractat in posteriori *comment. ibid. tom. 4. oper pag. 797. B. & 798. A.* Ubi legere potes, adhibito simul Tarnovio *ibid. pag. 157. & 158.* Manet itaque, † omnes
84 in eo convenire, Joëlem digitum intendere ad judicium Dei & Christi, qualecunque & quocunque tandem tempore & loco sit. Quo præmisso non est quod in vocem, tempus & locum curiosius inquiramus: sed cum Munstero statuamus, speciale nomen vallis Josaphaticæ paulatim cum aliis migrasse in vocabulum generale, & appellativum judicium & vindictam inferens divinam: ita ut prorsus abierit in proverbium; ceu ex Hordedero antea retuli & docent infinita antiquitatis exempla,

mox

mox adcumulanda. Quam explicationem & mediam nostram viam in totum improbare non videtur prædictus Tarnovius, laudans simul Hebræum & Chaldæum interpretes, tũ Cornelium à Lapide & alios recentiores *d. comment. super Joel. cap. 3. pag.* 140. *in fin.* & 141. *in princ.* Ex horum enim simul † effectu, toties sequuto addiscere possumus (quale argumentum solet esse verisimilius *Everh. in topic. Pruckman. passim in consil. Steph. Phederic. de interp. leg.*) Deum oppressorum voces & ad suũ tribunal, quandoque etiam specificè ad vallem Josaphat legitime factas provocationes exaudivisse & vindictam de inpiis etiam in hac vita, ad miraculum usque sumsisse, judiciumque magis solenne confirmasse sive ejusmodi adpellationes, visas fuisse à Deo receptas ut tanquam citati ante hunc judicem conparuisse videantur, dicente Matth. Stephani *d. tr. de jurisdict. lib.* 2. *p.* 1. *cap.* 1. *mem.* 2. *num.* 190. Quis enim nunc amplius dubitaret tot rationibus & authoritatibus adstipulantibus † hic notari insigne judicium in hostes coram populo Dei edendum: & congregare in vallem Josophat, esse hostium furorem simili clade ulcisci: Citare autem ad vallem Josaphat, juxta communem factam loquutionem significare, ad judicium vel tribunal Dei provocare, ibique reum quasi in jus vocare? Quod ergò rationes & authoritates non evincunt, id faciant priscæ,

85

86

87 mediæ & proximæ ætatis † Exempla, morte & eventu confirmata, quæ magno numero secundam hujus discursus partem constituere, in initio dixi: variis ex Theologis, jureconsultis, historicis ac politicis (quorum vicaria operâ utor, & veritatem penes ipsos residere, plerosque tamen bonos arbitror) congesta varie me aucta & in meliorem ordinem redacta, inque illorum quoque gratiam sub uno quasi adspectu posita, qui authores istos vel non habent, aut in iis conquirendis labores sustinere renuunt. *Principio* huc spectare videntur dicta & facta, quæ de provocatione ad Dei Christique judicium & ad inplorationem vel aliàs pro delicti gravitate sequutâ debitâ vindictâ, tam ex novo quam veteri instrumentis antea
88 induxi. *sup. num. 9. usque ad num.* 23. † quæ ex parte ad præsentem materiam transtulit Majolus *d. tom.* 2. *dier. canicul. colloq.* 2 *fol.* 523. similiaque licet colligere de piorum liberatione ac inpiorum punitione ex *sapient. cap.* 2. 3. 4. 5. & 11. de Elia & Balairis 3. *Reg.* 18. & 19. Achabo, Jezabele ac Nabotho 3. *Reg.* 21. eodem Elia & rege Ochozia 4. *Reg.* 1. item matre & septem liberis ac Antiocho 2. *Maccab.* 7. 8 9. (ubi singularis constantia cum invocatione martyrum & tyranni pœna divinitus immissa cernitur) deque Susanna *Daniel.* 13, *v.* 5. 9. 22. 23. 24. 34. 42. *cum seqq.* ac Daniele ipso & rege Cyro, populoque tumultuante ob destructionem Belis

cap

cap.seq.14.v.4.18.24.29.31.37.40.41. nec non Balthasare, Sidracho, Misacho & Abdenagone *Daniel.3.et 6.* item de Esthere, Mardochæo & Hamano *Esth.cap.4.v.16 cum capp.reliqq.* In novo autem testamento adfinia legimus de Petro captivo cum fidelibus ad Deum clamãte & ab Angelo liberato, Herodeque percusso & à vermib⁹ (perinde ut Antiochus & alii *inf. num.* 109.) consumto *Actor.12. v.5.usque ad fin.cap.juncto lib.2.Maccab.cap.6.confer. Camerar.cent.1.medit.histor.cap.39.pag.179.& 180. cap.13.pag.9.et 11.cum cap.18.pag.60.& 61.Richterus axiom.histor.reg.173.pag.232.& seq. Hondorff.theat histor.sive prompt.exemp'.in 3.præcep. p.m.291.* Similiter Paulus cum Sylo virgis cæsus ac in carcerem conjectus, oravit Deum, & subitò ingens terræ motus factus, ostiaque aperta & vincula soluta fuerunt. *Act 16.v.23. cum seqq.* ac alio tempore captus & criminis falso adcusatus, dureque tractatus, non modò ad Deum: sed quoque Cæsarem provocavit & mirifice servatus est, quæ historia exstat *Actor. cap.21.usque ad cap.27.* Alia plura quilibet privato studio inter legendum observare, hucque ex sacris referre poterit. Profana quod attinet † ethnicos quoque (nam hi suos 89
etiam deos inploratos vel ex officio crimina non relinquere inpunita statuerunt, velut Cyniscum loquentem introducit, aliàs deorum hominumque irrisor Lucianus *in dial. Cata-*

plus sive tyran.p.m.70.B.edit.latin.) expressa atque evidentia, nec floccipendenda exstant justitiæ divinæ exempla, quamvis à scriptoribus ethnicis more oreque ethnico recenseantur. Pauca referam, eorum omninò verbis. Sit ergò *secundum* in ordine exemplum de Severiano quodam. Is namque Hadriani Imp. jussu ad supplicium ducebatur. Antequam igitur infami laqueo jugulandus innecteretur, nullius sceleris sibi conscius, sed Principis aures ad jus suum surdas cernens, ignem poscit, & thure incenso: Vos, inquit, ô Dii testor, me nihil adversus Hadrianum fuisse molitum, cui indignè me persequenti hoc tantùm inprecor, ut cum mori cupiet, non possit. Evaluit votum, & evenit inprecatio. Imperator ille animam diu agens, non invenit, ubi illam protruderet. Sed inter cruciatus & agonem divisus repetitis vocibus clamavit: Quàm miserum est mortem adpetere, nec mori posse! Ita qui invito mortem præcipitârat, eâdem opera sibi volenti eamdem remoratus est, ex Dione Cassio *lib.69 histor.* recensente Christiano Heroldo *d.dissert.de provoc. ad jud. Dei in vall. Jos.pag.7.* Sed vetustate inprimis notandum & *tertium* exemplum sit homo quidam pau-
90 per † Scedalus nomine, qui prioribus seculis in Leuctris habitasse perhibetur, isque duas habuit filias, quarum altera Hippo, Miletia altera vocabatur. Has hospites quidam Spartiatæ

tiatæ (patre forte absente) illuc accedentes, ut constupratunt, inclamantesque facinus, & Deos Hominesque obtestantes, crudeliter etiam interemerunt, & illorum corpora in subjectum devolverunt puteum. Dum hæc patrata, domum redit Scedasus, qui comperta, ut erat, re domesticam deflens calamitatem, natarumque miseratus vicem, Spartam properè contendit, horrendumque hoc facinus ad Ephoros miserabiliter detulit. Sed illi spretâ sordidati senis humilitate, neglectisque illius singultibus & lacrymis, ceu amentem & insanum procul à se Scedasum abegerunt. Domum igitur infelix reversus senex, hospitalem invocans Jovem, & ultrices sæpius appellans Erinnydes, dolorem haut quaquam illam ferre valens, sibi ipsi manus intulit. Annis postea volventibus Lacedæmonii juxta Scedasi filiarum exstructum tumulum, maxima pugna, quæ illorum vires penitus attrivit, à Thebanis, Pelopide duce, profligati fuëre, & Græciæ imperium, quod eousque facile obtinuerant, penitus amiserunt. Addunt quin etiam plerique, cum pridie ejus diei, quo pugnatum est, Pelopides immolatis de more victimis extispicio operam daret, ditaque illi & adversa sese ostendissent exta, & ob id commotior integram rem illam, in sequentem distulisset diem, ea quæ sequuta est nocte, per quietem illi Scedasi adstitisse imaginem, hortantis & ut

bono esset animo jubentis. Venisse enim ad Leuctra Lacedæmonios, ut sibi & filialibus suis meritas aliquando darent pœnas. Quamobrem alacriter iret & antequam suos in aciẽ duceret, manumq; cum hostibus consereret, candidum equi pullum super filiarum tumulo jugularet, eaque victimâ sibi & virginibus prius parentaret. Quo admonitus somnio Pelopides, perfectis sacris, bonâ cum spe sequenti postea die in hostes duxisse & illos ad internecionem cecidisse planè perhibetur, ex aliis recensente Majolo *d. tom. 2. dier. canicul. seu colloq. phys. 2. fol. 525.* sicuti etiam fecit Philippus Melanchthon *lib. 2. Chron. Carion. p. m.* 241. ubi simul ex Pausania Oraculi, pœnam istam denunciantis, verba refert & hisce versibus reddit:

Leuctra mihi sunt curæ, & mors tristissima, gnatæ
Occisæ Scedasi quæ periere duæ.
Hîc atrox fiet pugna & sævissima cædes,
Fatalis quando venerit illa dies. (*pubes*
Quam prius haut quisquam nôrit, quàm Dorica
Amittet robur, militiaque Duces.

91 Exemplum † *quartum* est de Phoci Bœotii interitu ac Callirrhoës filiæ Procis, & de illorum postea sumptô supplicio. Phocus genere Bœotius ex Glisante oppido Callirrhoë habuit filiam, quæ cum corporis formâ tum pudicitię gloriâ inter æquales suas & socias facile sibi primas vendicaverat, Hanc triginta (ut ajunt) nu-

numero ex universa Bæotiá genere opibusque primarii juvenes summo sibi quisque studiô in uxorem expetisse dicuntur. Cæterum pater alias ex aliis moras semper complicans ac connectens, & diem de die trahens illorum vota procrastinando consultò frustrari videbatur. Quamobrem re inter se communicatâ, conspirationeque conflatâ Proci hominem per insidias interfecerunt. Hac re palam facta Callirrhoe clam aufugiens tam diu delituisse dicitur quoad celebre per universam Bæotiam advenit festum, quod παμβοιώτιον illi vocabāt. Hanc illa celebritatis nacta occasionem observatô tempore supplex in Palladis cognomentô Ithoniæ concedisse dicitur ara, palamque Procis conquesta suis, illorum scelus, nefandamque parentis sui cædem miserabiliter indicavit: nomina etiam singulorum,& patrias insuper memoriter maximo recensens ululatu. Bæotii verò quotquot ad celebre spectaculum aderant cum puellæ largiter plorantis lacrymis, tum rei ipsius indignitate permoti, cædis patratores & conscios ut ab illis meritas exigerent pænas diligentius inquirere cæperunt, Hac illi re percepta ocyus omnes dilapsi ad Hippotas: quod oppidum medio Thebarum Coroniæque interstitio erat, celeri fuga pervenisse dicuntur. Expostulantibus autem illos postea Bæotiis & ut sibi dederentur summo studio contendentibus, cum oppidani ob-

obaudirent, eosque reddere nollent comparato ex singulis civitatibus delectorum exercitu, illorum fines hostiliter sunt ingressi, & oppidum quidem vi captum funditus everterũt. Procos verò illos in potestatem redactos, maximâ exstructâ pyrâ, simul omnes in ignem conjectos combusserunt. Ferunt quin etiam nocte, quæ illum in quo hæc gesta sunt præcessit diem, crebras ex vicino Heliconis jugo auditas fuisse voces cujusdam: Adsum, adsum, fortiter inclamantis, procosque illos tali ostẽtô perterritos, voces eas interfecti à se Phoci esse sibi benè cognitas constanter affirmasse. Quô autẽ die meritas illi pænas dedere, Phoci illius in Clisante tumulum odorato fluxisse croco fama est. Hactenus iterum, sed innominatis authoribus, Majolus *d. colloq. in pag.* Ad gentes alias me converto & obcurrit *gesta*
92 *tà* de † Onia, quomodò Dei judicium inplorare coactus fuerit, & eo lapidato numen pœnas exegerit. Hircanus enim à fratre Aristobulo per vim Regnô & pontificatu ejectus, ad Aretam Arabum Regem confugit, qui exulis curam suscipiens adversus Aristobulum exercitum quinquaginta millium virorum educit eumque victum Hierosolyma compellit, impetuque factô in templo obsidet, etiam plebe Hircani partes sequutâ, solis sacerdotibus Aristobulum defendentibus. Cum autem Judæi Oniam virum justum, & Deo charum,
quia

quia aliquando in æstu & siccitate imbrem à Deo precibus imperrârat, rogarenr, ut Aristobulum cum suâ factione devoveret, non paruit, sed cum cogeretur: o Deus, Rex universi, inquit, quia & ii, qui mihi adstant, tui sunt, & Sacerdotes, qui obsidentur iidem tui: oro, ut neque his contra illos, neque illis contra hos opem feras. Hac precatione peractâ statim virum lapidibus obruerunt. Neque verò multò post, numen ejus inpietatis pænas exegit, violento turbine, frugibus regionis vastatis, unde tanta annonæ caritas sequuta est, ut modius tritici undecim emeretur drachmis. Plura apud Josephum *lib. 14. antiq. Judaic. cap. 1. 2. 3.* quem citat Hondorffius *d. prompt. exempl. in 3. præcept. p. m. 204.* Adfine exstat *sexto* de † Decio Christianorum persequutore a- 93
pud Romanos septimo. Quippe Magnus gentilibus quidem, sed honestis prognatus parentibus, cum jam ætate grandis esset, Christianorum se adjunxit cætui, eorumq; doctrinam, crebrò audiens, fidelis & constans Christianæ veritatis adsertor factus est. Qui sub tyrannide Decii illius conprehensus, vinculisque inmaniter constrictus, verberibus fædatus, & ad judicem Severianum raptus est. In hisce constitutus angustiis filium Dei Jesum Christum adsiduis precibus invocavit: o Jesu Christe, inquiens ne deseras me in hac tribulatione, neque discedas à me in præsenti vita, &

in æ-

in æternum custodi me, secundum divinam tuam gratiam & corpore & animâ. Hinc ad Tyrannum conversus: Discedite à me, ait, qui operamini iniquitatem, nulla vi aut ratione me ad tantam adigetis inpietatem, ut idolis sacrificem. Nam in Christo vero Deo consistit & salus & consolatio mea, cui soli animam meam commendo. Propter hanc confessionis constantiam post varia tormentorum ac suppliciorum genera tandem est decollatus. Sed frustranea num fuerunt ista suspiria, & vitine sanguinum diu in imperio manēt ac vivunt, summique monarchæ judicium effugiunt? Mini-
94 mè gentium. Decius † sanè ultra biennium non regnavit. Nam cum adversus Gethas, qui postea Gothi nuncupati sunt, quive Istrum transierunt, bellum gereret, ab hostibus in loca palustria arte tractus est, ubi filio interfecto ipse in paludem mersus periit. Utriusque rei, præter veteres author est idem Hondorffius *d. prompt. exempl. in 2. præcept p. m. 116. & 117. in princip. cum 3. præcept. pag. 294. in fin.* & pluribus ante ipsum indicat Philip. Melancht. *in Chron. Car. lib. 3. p. m. 413.*
95 *Septimò* de duobus † Julianis simile narratur, idque inter loco remotissimos contigit. Quippe Julianus, cognomento Sabbas, vir angelicam sanctitatem in vita sua repræsentans, cum esset de Juliani apostatæ crudelissimi minis certior factus, longè attentius, quàm antea
preces

preces Deo omnium moderatori adhibuit, totiusque Ecclesiæ miseras vices obtulit, & vindictam rogavit. Atque eodem ipso die, quo Julianus interfectus est (quanquam iter viginti dierum & amplius, aberat ab exercitu, cujus rei exempla alii referunt mox citandi) cædem
ejus † inter precandum cognovit, lætusque ad 96
familiares suos dixit: Aper ille sylvestris, hostis vineæ Domini, meritas devastationis suæ pendit pœnas, mortuus jacet, nec amplius Christianos minis & sævitiâ suâ terret: quibus cognitis omnes triumphare gaudio, & hymnum, quo Deo gratias agerent, canere ceperunt. Nec multi dies elapsi sunt, cum nuncius advenit, Tyrannum exstinctum esse eâdem die ac horâ quâ venerandus ille senex (ea namque vis attribuitur verè piis hominibus, ut passim docuit reverendus vir Johannes Arndius, quondam generalis superintendens Lunæburgicus; & similem historiam de Theodorico Gothorum Rege, à quodam absente mortuo viso ex Gregorii *dialog. 4. c. 30.* refert Thomas Bozius *in tract. de jure status Ecclesiast. lib. 6. cap. 10. p. 705.* nec non alia exempla habet Simon Majolus *tom. 1. dier. canic. seu colloq. physf. 4. fol. 64.*) eum cecidisse & cognoverat & prædixerat. Apostatæ autem mors sic insequuta: Cum extremum Ecclesiæ Christi minaretur exitum in prælio adversus Persas vulnus in epare sensit, à milite inflictum
† qui tamen quis fuerit 97

& hoc

(& hoc genus necis adgravat in impio) nescitur. Relatus in castra sanguinem cavâ manu excipiens, sursum sparsit, clamans: Vicisti tandem Galilæe. Hâc voce emissâ, quâ fatetur & auget eádem impiam suam voluntatem, ingentemq́ue fremitum ostendit ac sensum pænarum, exstinctus & in barathrum detrusus est, anno ætatis suæ tricesimo secundô, referentibus Theodoreto *lib. 3. cap. 29.* Hondorff *d. prompt. exempl. in 2. præcept. p. 116. cum 3 præc. p. 296.* confer Philipp. Melancht. *lib. 3. Chron. p. in 466.* Hæc prisci illius, & partim Judaici, partim Gentilis seculi exempla jam in terminis obcurrunt: plura longè veritate ac severitate nobiliora in Christiano, eò magis stupenda, quò inter homines magis illuminatos evenere. *Octavum* itaque sit exemplum, quod sub Friderico Barbarossa seu Ænobarbo Imp. gloriosissimo contigit. Moguntinus vel secun-
98 dum alios Wormatiensis quidam antistes † nomine Henricus fuit vir pius & tranquillus, qui Romæ adcusatus, quasi ineptus sive inutilis muneri esset, quod gerebat. Advenit Arnoldus, qui postea in locum ejus venit, & fertur ab ipso Henrico missus ad purgandum igni oleum addidisse: & purpuratorum quosdam patrum corrupisse, inque se vertisse. Eò ventum ut Cardinales duo Moguntiam missi de causa quæsiverint, Henricum damnârint,

ab-

abdicarint & Arnoldum illum ſubrogarint, quod alii A.C. 1105. alii 1106. alii 1154. contigiſſe referunt, ni error typographi hanc diverſitatem invexerit. Henricus id patienter ferens, hactenus queſtus eſt, ut cum civibus Moguntinis à Deo ultionem expetens diceret: Si ad ſedem Apoſtolicam adpellarem, contra veſtrum iniquum proceſſum, papa forſan ipſe nihil amplius tentaret, & nihil mihi adcreſceret, niſi labor corporis, amiſſio rerum, adflictio Spiritus, eviſceratio mentis & evacuatio gratiæ. Provoco igitur ad Dn. Jesum Christum tanquam judicem juſtiſſimum. Vos cito ad ejus tribunal, ibi coram ſummo æquiſſimoque judice me reſponſurum exhibebo. At iſti joco hoc eludentes dixerunt, cum tu præceſſeris, nos ſequemur. Factum ſanè eſt. Nam ille poſt annum ferè & dimidium fato conceſſit & rumore ad aures dictorum cardinalium delato, iterum illudentes: Ecce prꝗceſſit, inquiunt, ſuo tempore nos ſequemur. Sed pauxillo ſpacio interpoſito, uterque nefando mortis genere obiit. Nam unus ſedens in loco naturę conſueto, ut purgaret ſive exoneraret ventrem, omnia inteſtina ſua (ad exemplum † Arrii, qui in concilio ab imp. Con- "
ſtantino habito & Epiſcopo Alexandro preces in templo ad Deum fundente, cum ad publicum conſeſſum properaret, ſubitá conſternatione obpreſſus à via deflexit, ac in latrina con-

fidens

ſidens, ibi effudit inteſtina, & exſtinctus eſt præter alios teſtibus Phil. Melanth. *l. 3. Chron. Carion, p. m.* 451. Pau. ab Eitzen. *lib. 2. ethic, cap. 20*, Greg. Richtero *axiom. hiſtor. reg. 166. pag. 203.*) in cloacam ejecit & animam miſerabiliter exhalavit. Alter verò manuum ſuarum digitos articulatim obmordens & ore exſpuēs quaſi ſeipſum devorans, exſpiravit. Hæc vetus chronicon Moguntinenſe Conradi epiſcopi recenſet, ex quo ea habent Bembellona *in tempeſt. ſuſcitab. pro princip. part. 2, cap. 1*. Majolus *d. tom. 2. dier. canicul. colloq. 2. fol. 524*. Phil. Camerarius *d. cent. 3. horar. ſucciſ. cap. 38 pag. 130. et 131*. Greg. Richterus *d. append. axiom. hiſt. reg. 299. pag. 508. & 509*. Sebaſt. Francus *in chron. German*. Greg. Stregenitius *in d. poſtil. Euangel. ſuper Dominic. 25. poſt Trinit. pag. 1008*. Juſt. Lipſius *d. lib. 2. monit. polit. cap. 11*. Sed latius & integre hanc hiſtoriam refert Jac. Spigelius *in ſchol. ad Guntheri Ligurin. lib. 1. p. m. 286. 287. 288*. necnon quædam alia ſubminiſtrat Thraſybulus Lepta h. e. Cunradus Dinnerus JC. *in hiſt. expoſit. de ortu & reb. geſt. Baron. à Seinsheim lib. 1. fol. 34*. Eodē ſeculo, nempe circa A. C. 1054.
100 vel juxta alios 1059. *Nonum* contigit exemplū. Tempore enim Henrici IV. Rom. Imp. Burchardus Epiſcopus Halberſtadenſis iniquam diu litem cum Abbate Herveldenſi Mehinguero (alii vocant Meghenerium) foverat ſuper decimis Saxoniæ, quas Epiſcopus Mona-
chis

chit ereptum, sibi vindicatum manu magis quam jure ibat, cum neque spes aut ratio erat valenti adversario resistendi. Abbas paucis ante mortem diebus Comitem Palatinum Fridericum ad se vocat, & extrema hæc mandata ferre antistiti rogat: se quidem lite imparem, lege meliorem cedere; sed Deum judicem fore, ad quem adpellaret. Pararent itaque se ambo, ut causam in tribunali dicerent, ubi gratiâ & potentiâ spretis sola justitia posset, polleretque. Nec diu post Abbas ipse febri obiit, statimque Antistes, cum equum conscendere vellet, ut fulmine ictus concidit, desiitque in vocibus: Abripi se ad divinum tribunal, ibi judicandum. Hæc Lamb. Schafnaburg. (quem egregium tunc temporis scriptorem extitisse, & talia mira quidem, sed tamen fide digna & ex usu vitæ quoque esse, testatur Lipsius *d. lib. 2. monit. polit. cap.* 11.) itemque Aventinus *lib. 4. annal. Boior. Majolus d. colloq. 2. fol.* 524. Pet. Gregor. Tholoz. *tract. de appellat. lib. 3. cap. 7.* Vent. de Valentiis *d. lib. 1. parthen. litig. cap. 1. nu.* 40. Heroldus *d. diss. de provoc. ad vall. Jos. pag.* 17. Obicet Matth. Stephani *d. lo. nu.* 193.

Decimo † Conradinus, ultimus Sueviæ dux, 101
& ex Hohenstauffensium imperatoria familia ortus, cum Majorum suorum terras injustè sibi ereptas vindicatum iret, jam victor, per insidias Alardi victus & à piscatore proditus infelici prælio à Carolo Andegavensi Duce captus

unà cum Austriaco Duce Friderico capite da-
mnatus est An. C. 1269. alii volunt esse An. C.
1268. mirum cum scribæ vel typographi ansam
errandi præbuerint. Ille igitur securi percu-
tiendus multa de perfidia inimicorum con-
questus causam suam summo judici ultori sce-
leris & parricidii commisit & ad Christi tribu-
nal fecit provocationem: neque in ipsius vin-
diciis justitia divina claudicavit. Carolus enim
iste, quamvis aliquamdiu prosper, attamen
quod cruentis suggestionibus Pontificis Cle-
mentis IV. morem gesserit, seque ministrum
præbuerit hujus injustissimæ cædis, in Rege
quatuordecim annorum juvene perpetratæ,
102 pœnas postea dedit gravissimas: quando in †
Vesperis illis Siculis famosissimis (quæ ponun-
tur An. C. 1281. al. 1282. juxta Æmilium Ri-
tium, Tillium, & Helvicum, deque iisdem le-
gendi Paulus Æmilius, Marcus Guazzus, Tho-
mas Fazellus & inprimis, qui hos citat, Phil.
Camerarius *cent. 1. hor. succis. cap. 83.* adde Casp.
Peuceri *continuat. chron. Carion. lib. 5. p. m. 991.*
& 992. Thom. Lansium *in consultat. de princip.
provinc. in Europ. orat. contra Galliam p. m. 283.*
& 284.) tota Insula Sicilia, cæde libidinosorũ
in cautorumque Gallorum uno quasi tempo-
ris ictu & sede facta die nempe domino nostro
resurgenti festa: in quibus ille vesperis, quas
recensiti plenius enarrant, se Francosque suos,
& in insula imperium perdidit. Cujus rei
quo

nuncium cum Romam ad Carolum delatum
ejus animum valde perturbavit, ut vocem hãc
desperationis & confessæ sævitiæ plenissimam
proferre coactus fuerit: Quando fortunam
mihi adversam esse vis Deus, facito ut sensim
amittam, quæ brevi temporis spacio parta
sunt. In sacello præterea Neopolitano, ubi
Conradinus Dux sepultus, & ignominioso e-
pithaphio post mortem quoque prosequutus,
est † locus iste, qui cruorem ejus hausit, perpe- 103
tuo etiamnum cruore veluti innocentiæ teste
sudare, nec cohiberi posse dicitur. Nec non
pœnæ certitudinem auxit; quod successor Pon-
tifex Nicolaus IV. vel odio Caroli, vel cum se-
de antecessoris sui Clementis IV. (omino-
sus † quippe numerus in his & prædecessori- 104
bus eorum, Innocentio IV & Urbano IV re-
pertus quaternarius, ceu historica series apud
Peucerum indicat & mox Innocentii IV. ex-
emplo confirmatur & simile, quoad numerũ
septenarium Gregorio XI. Pontif. omino-
sum refert Simon Majolus *tom. 1. dier. canicul.
colloq. 4. fol. 86.*) devoluta ex nequitia cum cæ-
teris has Vesperas Siculas multum promovit:
nec non futuri eventus indicium existit, quod
illam Caroli truculentiam gener ejus Rober-
tus Flandriæ Comes hac tulit impatientiã, ut † 105
protonotarium Robertum Barium, qui è ca-
thedra capitalem sententiam, tenuissimæ con-
ditionis homo adversus tantæ excellẽtiæ Prin-

cipes (putà Conradinum Suevum & Fridericum Austriacum) pronunciarat, tanquam vita indignum, ense confodent. Authores præmissorum sunt Nauclerus *vol. 2. generat. 43.* Mart. Crusius *in annal. Suev. part. 3. lib. 2. cap. 15. 16. 17. 18. 19.* Casp. Peucerus *d. lib. 5. Chron. Carion. p. m. 989. 990. 991. 992.* Joh. Stumph. *l. 4. Chron. Helvet. c. 51. fol. 280. A.* Ricordanus; Franc. Malaspinus & Papirius Massonus *lib. 3. annal. Franc.* apud Camerar. *d. cent. 1. cap. 83.* Phil. Mornæus *in myster. iniquit. seu histor. papat.* & Pandulfus *lib. 4. hist. Neapolit.* Fazellus *de reb. Sicul. dec. poster. lib. 8. cap. 4.* apud Lansium *d. orat. contra Gall. p. m. 282. & 283.* Joh. Norderman. *d. dissert. de jure principat. concl. 49. lit. B. junct. concl. 51.* Author. Mercatus papistici, Anno jubilæi Euangelici 1.6.17. sub incerto nomine editus *cent. 7. de blasphem. §. 76. pag.*
106 *229. & 230.* Eamdem † Conradini Suevi historiam hisce paucis verbis concludit Christophorus Lehmannus: Babst Clemens der vierte hat durch seinen blutdürstigen rahtschlag verfüget/ daß Conradino Hertzogen zu Schwaben/ einem jungen dapffern Helden/ ohne leibes Erben/ zu Neapolis das haubt offentlich abgeschlagen worden: dergleichen Tyrannische exempel an einem Teutschen Fürstliches standes und stammes/ zuvor in keiner historien zulesen/ so geschehen An. 1268. deroweil hat man berühte stattliche Königreich Neapolis/ Calabrien

und

vnd Stellen) den Teutschen Fürsten vnd Römischen Reich abgeschnitten. *Lehman, lib. 5. Chron. Spiren. cap. 67. pag. 544. B.* Ne autem quis dicat, me talia singulari vel amore gentis nostræ, aut odio pontificum vel ad invidiam Italorum protulisse, en lege populatis Marci Guazzi, latinè conversa verba: Saxeus (dicentis) esset, cujus animum tanta crudelitas non frangeret, in Regem generosissimum tot Cæsaribus, inque Ducem fortissimum, eosque ambos ætate adolescentes editos; qui pessimo & infami ad omnem posteritatem exemplo vilissimè habiti; deinde inclementissimo Clementis IV. cõsilio secuti percussi sunt. *Guazz. in Chron. Lansius d. orat. pag. 284. in princ.*

Undecimò Neapoli A. C. 1253. † Robertus 107
Lincolmensis, cognomine Capito, aliis Grossetest, celebris illa ætate Philosophus floruit. Hic (velut ex Cestriense refert Joh. Balæus, & alii post ipsum) cum Innocentii iterum IV. Pontif. Rom. avaritiam, fastus, tyrannidem & alia tetra vitia, tam vivâ voce, quàm scriptis inprobaret, ab eo excommunicatus & ad curiã citatus, injustè tandem est damnatus. A nocenti itaque Innocentio adpellans, Christum judicem constituit. In ipsius igitur obitu vox clamans in papali curia est audita: Veni miser in judicium Dei. Sequenti die Papa in lecto exanimis est repertus, & livida in latere ejus plaga, velut à fuste inflicta. Joh. Balæus *in vitis*

Pontif.lib.7.p.m.301. & *302.* Camerar. *d. cap. 38.pag.131.* Richterus *d. axiom.hist.299.pag. 309* Herold. *d.d. sert.pag.10.*

Duodecimò huc spectat mors, quæ eadem more tyrannico alteri in Gallia regi Philippo pulchro & Clementi V. Rom. Pontifici obvenit. Etenim † Templariorum Ordo diu florens & Christianis utilis, huic tandem Philippo ob potentiam & aliis de causis invisus maximè & suspectus est redditus. Itaque pontifex ordinis illius Equites omnes hæresæos, aversæ nec nominandæ libidinis, læsæ Majestatis & aliorum nefandorum scelerum, falsò incusatos, vel contra juris ordinem damnavit, idque in concilio Viennensi An. C. 1311. vel secundum alios 1214. fecit. Rex inclementissimæ sententiæ Clementis, veluti carnifex constitutus, non segniter undique conquisitos supplicio vario adfecit. Quare tam Rex quam Pontifex à pluribus eorum ad divinum tribunal citatus est. Quorum unus Neopolitanus in urbe Burdigala ad ignem jam adhibendus, conspectis in fenestra Clemente ac Philippo, altam ad ipsos vocem sustulit: Sævissime, Clemens, tyranne; posteaquam inter mortales nullus jam ad quem adpellem, superest locus, pro gravi morte, qua per tuam injuriam obcumbo, ad justum judicem Christum meum provoco redemptorem, ante cujus tribunal te voco unà cum Philippo isto, ut intra annum

108

& di-

& diem illic compareatis, ubi causam meam exponam & justissimo judici probabo, jusque sine pravo affectu ibi administrabitur. Videtur hæc valuisse citatio. Nam non multo pòst discessit Clemens, quem inter vallo non longo Philippus quoque (haut secus ac tempore † Adalgarii archiepiscopi Bremensis cò- 909
tigit, quem conludentes Hermannus Coloniensis & Hatto Moguntinus præsules duo vexarunt, ipsique concreditæ Ecclesiæ privilegia, auxiliantibus Formoso papa & Arnulpho imperatore, fregerunt; quorum ille secundo anno obiit, hic verò quarto insequente, vivus à vermibus consumtus veneno extinctus est, teste M. Adamo Bremensi Canonico, adjiciente talem regulam, Deum omnipotentem aliquando justos, ut meliores fiant, tentare vel hoc permittere. Ad. Brem. *in hist. eccles. cap. 41. al. 42. edit. Lindenbrog. pag.* 33. Luitprand. *lib. 1. hist. cap. 9.* Thom. Bozius *in tract. de jure stat. eccles. lib. 6. cap. 12. pag. 723.*) eò, unde negant redire quemquam, sequutus est. Hæ res gestæ reperiuntur describi apud Fulgosium *in collect. lib. 1. de miracul. cap. 6.* Robert. Gaguinum *lib. 7. hist. Franc. cap. 5.* Guilel. Paradinum *lib. 2. Chron. Sabaud. cap. 16. fol.* 301. Raph. Volaterran. *lib. 21. metropol. cap. 6. in. Ordines meliores &c.* Platinam *in vita Clement.* V. Christian. Massæum *lib. 17. Chronicor.* Sim. Majolum *d. colloq. 2. fol. 524. in fin.* Papir. Massonum & Paul.

Æmilium lib 8. de reb gest. Franc. Camerarium *cent. 1. horar. succis. cap. 83. pag. 388. & 389. cum cent. 3 cap. 38. pag. 132.* Lipsium *d. lib. 2. monit. polit. cap.* 11 Joach. Stephani *lib. 4 de Ecclesi. jurisdict. cap. 10. nu. 18. Matth.* Stephani *d. tr. de jurisdict. lib. 2 p. 1. cap. 1. mem. 2. nu. 194.* Vent. de Valentiis *d. lib. 1. par. riben. litig. cap 1 nu. 39.* Pet. Calefatum *tr. de equest. dignit. nu. 12 p. m. 581 in vol. discurs. de jure publ. Hanoviæ excus.* Richterum *d. axiom. histor. 199. pag. 509.* Heroldum *d. dissert. pag.* 8. & 9. adde Joh. Stumphii *chron. Helvet. lib. 3. cap. 108 fol. 208. B.* Norderman. *d. dissert. de jure principat. concl. 51.* ubi allegat Pet. Massiam *part. 3 cap. 31.* Giovan. Bapt. Terzone *nem. dio soprem. lib. 1.* Totam verò cau-
110 sam & ordinem † Templariorum, Germ. Tempelherren / quod concernit, de iis videndi sunt utriusque religionis viri, Polyd. Vergil. *lib. 7. de invent. rer. cap. 5 p. m. 463.* Joh. Bodin. *lib. 5. de republ. cap. 2. p. m.* 831. Casp. Peucerus *lib. 5. Chron. Carion. p. m. 1063. & seq.* Bart. Pratręus *in lex. jur. verb. Templarii fol. mihi* 557. Joh. Frider. Matenesius *in hermathena orat. miscell.* 2. *pag. 26.* Leand. Galganettus *tr. de jure publico lib. 3 tit.* 44 Phil. Camerarius *cùm dd. locis, tum cent. 4 horar. succis. cap. 90. per tot.* Ubi de iis latissime tractat, interque cætera ex Nicolao Serario historiam aliam inserit, quæ eodem ferè tempore in Germania sub Petro Archiepiscopo Moguntino contigit, & huc spectat,

quo-

quosdam nempe istius ordinis ad habitam synodum sua sponte venisse, & de conventiculis ejusmodi ad proximum Papam & totum Clerum provocasse, simulque protestationem & innocentiam suam Dei judicio ac miraculo conprobasse. verba ipsa sic se habent. Conparuit † Hugo comes sylvestris & Rheni, qui 11 morabatur in Grumbach prope Meisenheim cum XX fratribus sub habitu ordinis, probè armatis. Hi omnes non quidem vocati, sed ultrò & subitò in consessum patrum irrumpunt, omnibus attonitis. Archiepiscopus viros considerans ac violentiam timens, placidè jubet, Commendator ut sedeat, & si quid habeat in medium adferendum, ut depromat. Qui clarâ & liberâ voce exorsus, se suosque confratres intellexisse ait, hanc synodum sui Ordinis delendi gratia potissimum congregatam, ex commissione Romani Pontificis. Enormia enim quædam scelera, & plus quàm ethnica flagitia illis objici, quæ in privato designarent, quod ipsis sane esse gravissimum & intolerabile: maxime quod non ordinarie auditi, nec convicti condemnarentur. Quare coram ista patrum congregatione se appellare & provocare ad futurum Pontificem, ejusque universum Clerum: publicè quoque protestari, eos qui propter talia flagitia alibi igni traditi essent & conbusti, constanter negasse, se quicquam eorum designasse, atque in ea confessio-

fessione tormenta & mortem perpessos, imo Dei Opt. Max. singulari judicio & miraculo e-
112 orum innocentiam comprobatam, quod † Chlamydes ac rubricatæ Cruces igne non potuerunt absumi. Quibus recensitis, & ne tumultus suboriretur, hoc illi effecerunt ac obtinuerunt, ut archiepiscopus protestationem illam admiserit & de futura quiete cum Romano Pontifice acturum promiserit, ejusque commissionem aliam obtinuerit, juxta quam illi sint absoluti. Actum An. C. 1311. Calend. Jul. Hucusque ex Jacobo quodam Moguntino & Naucleto Serrarius *lib. 5. rer. Mogunt.* Camerar. *d. cap. 90. pag. 339.* Cæterum eun-
113 dem † Clementem Papam diversimodè citatum in hoc jus ambulasse referunt, quod loco *Decimotertii* exempli esse potest. Nam Gualtherus Burgensis, vir doctrina clarus & sanctimonia jam antè per injuriam pulsus Episcopatu Pictaviensi ab isto inclementissimo pontifice, quamdiu vixit, patienter dedecus pertulit, moriens sepulchro jussit inscribi (idque, ut Del-Rio opinatur, exemplo aliorum) Ad justum Dei judicium adpello. Quod elogium Clemens quoque legisse, & tum injuriæ Burgensi illatæ memoriâ, cum tempestivi provocatione territus obiisse dicitur. Raph. Volateran. *in anthropolog. l. 21.* Del Rio *tom. 2. disquis. Magic. lib. 4. cap. 2. quæst. sect.* 1. Herold. *d. dissert. pag. 9.*

D. 4

Decimo quæritù quomodo † Florentinorum 114
legati circa A.C. 1375. ſe excuſaturi de rebel-
lione à ſententia Papæ Gregorii XI. contra ſe
nihilominus latâ provocaverint ad Deum, hi-
ſtorici commemorant. Secundum pulchras
enim orationes in conſeſſu publico habitas
mora quædam aliquot dierum & intercapedo
fuit, variæque in curia opiniones ac volunta-
tes. Galli ſiquidem contra Florentinorum
cauſam plerique ſentiebant: Italici verò ge-
neris cuncti pertinaciſſimum favorem Floren-
tinis impertiebantur. Demum excuſationibus,
defenſionibusque rejectis ſententiâ Pontificis
Florentini damnantur, & interdicto civitas
ſubjicitur: Univerſa in ſingulorum quoque
bona ubicunque reperirentur jus aſperrimè
conſtituitur. Aderant Oratores Florentini,
cum ſententia ferebatur, quo in loco multa fa-
cundè ac libero animo dicta ab illis fuiſſe con-
ſtat. Et illud inprimis, quod ad † Effigiem 115
Dei Barbadorus converſus (is enim majori
ſpiritu nitebatur; an verò huc referendum, &
eadem cauſæ bonitas ſit, alii cogitent, in ex-
emplo Caroli V. Imp. qui in bello Germanico
ad Albim fluvium & ſub ipſum tempus prælii
obſervavit Imaginem Chriſti, in cruce adfixi,
plumbeâ glande ab impio quodam milite re-
center trajectam, ubi ſtetit & ingemuit, altaque
voce ad Deum clamavit: Domine ſi vis injuriã
hanc ulciſci, potes, ecce autem me vindicem
tuum

rmum paratum, Juva, referente Lipsio *lib. 1. monit. polit. 2. cap. 2.* qui effectum esse sequutum subnectit; sed num is vel totum negotium evangelicorum aut saltem piissimi constantissimique herois Saxonici captura ex unius militis facto metienda, saniorum esto judicium) magnâ voce, ita ut Pontifex audiret: Deus, inquit, nos Legati Florentini populi ab hac sententia vicarii tui, iniquè lata, ad Te tuamque æquitatem adpellamus. Tu qui falli non poteris, nec irâ inflecteris, nec servitutem populorum, sed libertatem amas & tyrannos libidinesque odisti, Florentino populo libertatem suam defendenti subvenies ac propitius protectorque aderis! Et res quidem curiæ ita transigebatur; bellum verò exarsit vehementius, & dum pacis compositio tandem tentata, nocte aliqua velut nuncii, nullibi tamen reperti (quem angelum fuisse, postea crediderunt) vox audita est, se nova adferre & pacifica omnia fore. Circa idem tempus & eâdem ferè nocte ac hora, quibus illud contigit, Papa An. seq. 1378. ex passione calculi vehementer laborare incepit & ob intensissimos dolores brevi mortuus est, cujus in locum Martinus V. subrogatus; quæ omnia pluribus exhibet Antoninus archiepiscopus Florentinus *part. 3. speculi histor. tit. 22. cap. 1. §. 3. cum §. seq. 7. & cap. 2. per discurs.* post Leonhard. Aretinum *lib. 8. historiar. Florent.* Ista provocatio de † vicario ad domi-

dominum facta, mihi revocat in memoriam, diversas Dei & Christi Papæque leges ac mores vel inpias & blasphemas papicolarum adulantium voces, dum Pontificem pro Deo terrestri venditant, quique super angelis & hominibus in cœlo terraq; habeat imperium; ejusque sententia sit sequenda, etiamsi totus mundus contradiceret; nec à Papa ad Deum sit adpellandum; imò ne quidem dicendum, Domine Papa, quid facis? etiamsi aliquot millia animarum in gehennam duxerit, aut totidem sanctos necaverit, cum similibus infinitis, quæ ex propriis istorum libris conportarunt, tam theologi quàm jurisconsulti & politici Dn, Mentzerus *disp. Antipist or. 14. th. 21.* Meisnerus *de regim. eccles. concl. 34. & multis seqq.* Mylius in den Pabst predigten / Pareus *de jure reg. quæst. 3.* Author *somnii viridarii de utraque potest. vol. 10. tract. tractat.* Mornæus *in myster. iniquit. seu hist. papat.* Author *Mercat. papist.* Hortlederus *de caus. bel. German. seu in* Reichshandlen von vhrsach des teutschẽ kriegs *vol. 1. lib. 1. cap. 47. a num. 150. usque ad num. 159. pag. 492. cum seqq.* Reinkingius *tract. de regim. secul. & eccles. lib. 1. clas. 2. cap. 2. nu. 19. 20. 21. 22. 25. 42. 43 pag. 34 & 36.* Quæ ad materiam † 117
adpellationis in specie transtulerunt ex JCtis Justus Zinzerling, *in disp. de appellat. th. 57. 58. 59.* Matth. Stephani *de tr. de jurisdict. lib. 2 part. 1 c. 1. membr. 2, nu. 197. 198. 199. cum præcedd.* (Ubi

de

de præsenti pro vocatione ad divinum tribunal agit, posteaque subjicit, à Cæsare aut Rege ad papam non esse adpellandum; sed tales plerumque punitos fuisse, *juncto lib. 3. p. 1. cap. 3. nu. 47. cum rel. qq. & cap. 7. nu. 35.* confer etiam Henr. Bruning. JC. Bremens. *diss. de var. universit. u. specieb. concl. 5. lit. C. vol. 4. disp. Bahl. 5.*) & ante ipsos ex theologis Philippus Nicolai *in histor. de regno Christi lib. 1. cap. 7. p. m. 158. noviss. edit. German.* Cujus codex latinus cum ad manus non sit, inseram verba Teuthonica: Sie (die Catholische) schreiben er sey der höchste Stadthalter Gottes/ ja gleichsamb ein sichtbahrer Gott/ dem niemand gleich sey/ der auch zum Richter vber die Engel gesetzt sey/ vnd eine solche macht habe/ das man vom Pabst auch an Gott selbst nicht Appelliren könne/ sintemall Gott alles gefalle was der Pabst thut/ vnd er auch alles thun könne/ was Gott thut/ nemlich die Natur verwandlen/ die Sacramente endern/ dē epistein Pauli zu wiederlehren/ wieder die wort des Euangelii dispensiren, die zeitliche straffe gantz vnd gar hinweg nehmen/ vnd alles auf erden was Gott im himmel thut/ verrichten/ daher dan die hoheit vnd gewalt des Pabsts so groß sey daß es keinem menschen müglich dasselbe zu erforschen/ zubegreiffen vnd außzusprechen. Sic illi. Verum ad priora me converto & illuc *decimoquinto* spectare videtur aliud exemplum, quod in Anglia contigit. Quippe An. D. 13-

2[illegible].

82 † Johannes Gallus sacerdos, ob Euangelii 118 prædicationem per Simonem Cantuariensem archiepiscopum & Guilhelmum Londinensem Episcopos, Londini incarceratus à communi plebe liberatus est ex vinculis, interfecto archiepiscopo cum duobus aliis sacerdotum principibus. Deinceps Angliam peragrans, & vaticinia edens, per Robertum Trevilianum Coventriæ iterum captus adjudicabatur crudeli suspendio ac membrorum dilacerationi ad fanum Albani. Moxque idem Trevilianus summus Justitiarius eadem pertulit Tiburni, in communi suppliciorum loco suspensus, justâ Dei retaliatione, qui Galli in sitius suspiria ac clamores exaudivit, justeque mortem innocentis vindicavit & in ipso vatæ prædictiones ratas habuit. Thomas Netter Waldenus *in fascic. Zizanior.* referentibus Joh. Wolfio *tom. 1. lection. memorab. & recond. pag. 688.* & Greg. Richtero *d. appen. histor. axiom. 159. pag. 163.* ubi † regulam istam simul pluri 119 bus exornat: per quæ quis peccat, per eadem punitur. De qua etiam sapientissimus rex Salomon *lib. sapient. cap. 11. v. 17. juncto cap. 14. v. 19.* Cl. Dn. Mich. Piccartus *in suis observat. hist. polit. dec. 9. cap. 4. pag. 151.* Imò sæpe aliquis mirabili Dei judicio eo ipso in loco & revoluto tempore quis punitur, in quo prius peccavit, ceu idem Richterus ostendit *axiom. histor. 287.*

Deinde ... magis adpositum præbet exem-

emplum ſequens illud nobile par ſociorum, tam quoad memorabilem eventum, quàm veritatem commendabilem ac præ cæteris emi-
120 nenté. Quis enim ignorat † Johanné Huſſum ac diſcipulum ejus Hieronymum Pragenſem, ante duo ſecula in Conſtantienſi concilio hæreſeos ſuiſſe damnatos & vivos rogo impoſitos? Eorum uterque, explicite alter, alter obſcurius, velut ad Dei judicium provocavit. Et Huſſus quidem ad nomen ſuum (quod Bohemus Anſerem ſignificat) alludens: Hodie, inquit, Huſſum crematis; poſt centum annos Cygnus erit, quem cremare vobis non erit integrum. Hieronymus autem Pragenſis exclamavit: poſt centum annos reſpondebitis. Videtur ſane & Huſſi & Hieronymi vox omē ac vaticinium habuiſſe (ſicuti poſtea etiam fuit Joh Hilteni prædictio & provocatio, de qua *infra num.* 127.) cum poſt plenum & adcuraté emenſum ſeculum (Huſſus quippe A.C. 1415. die 6. Julii & Hieronymus ſeq. An. C. 1416. die 30. Maji ſunt conbuſti, juxta Buchol-
121 tzerum & Helvicum; Lutherus † verò A.C. 15.16. & 17. contra Scholaſticos Theologos de libero arbitrio &c. mox contra Tezelium concionari cepit) inconbuſtibilis ille Lutherus veluti iſtis ſubcenturiatus, totū Romano-Catholicum cætum ſcribtis ſuis exercuerit & adflixerit, meretricemque Babylonicam calvitie pudendā ſpectandam toti orbi explodendam expo-

expofuerit, verba funt prædicti Heroldi, qui
pergit: Nec aliquis mihi, cum passionibus
obnoxio fcribtore, dicat Lutheranos hæc cō-
minifci, & in Euangelicæ periodi argumen-
tum fuperaddere; cum † catholiciffimo Ro- 122
manus author Petrus Matthæus, hiftoriogra-
phus Galliæ regis celeberrimus *lib. del. hiftoire
de la paix fol.* 205. non modò hoc confirmet,
verum infuper addat: Bohemos poft crema-
tum Huffum defiderio ejusdem numifmata
cudiffe, infcribtione poftremorum ejus ver-
borum: poft centum annos refpondebitis Deo
& Mihi, hocque termino finito, Martinum
Lutherum adparuiffe idem adfirmat. *Herold. d.
differt. de prov. ad v. B. Joseph. pag.* 15. *et* 16. Inte-
gram feriē hiftoriæ, fupplicii & belli infequuti
legis apud Poggium Florentinum *in epift. ad
Leonh. Aretinum hac de re fcribta* Peucerum *d.
lib.* 5. *Chron. Carion. p. m.* 1154. 1155. 1156. *fummo pag.*
1182. & 1183. Joh. Lampadium *in continuat.
mellific. hift. Pezel. part* 3. *cap.* 8. *pag.* 381. 382.
383. confer. And. Hondorffii *theat. hiftor. feu
promptuar. exempl. in* 1. *præcep. p. m.* 50. & 51.
Thrafybuli Lepttæ *hiftor. expof. de reb. geftis Se-
insheim. lib.* 1. *fol.* 53. & 44. (ubi parallelum de
Henrico Archiep. Mogunt. adfert exemplum,
cujus memini *fupra num.* 98. & 99.) antequæ
hos eadem confcribfit (referens fe ad quem-
dam Petrum ex Moravis fcribam Wencesla̋i
Lefchnoi) Wenceslaus Hagecius *part.* 2. *chron.*

Bohem.pag.74.75.76.cum præcedd, & seqq. qui
licet Pontificiæ addictus videatur religioni, at-
123 tamen † veritas extorsit hanc confessionem,
ut testes num contra Hussum producti sint ha-
bendi veridici, solum Deum scire fateatur: in
assignanda autem causa condemnationis Hi-
eronymianæ varias quidem & tres dissimiles
tunc opiniones extitisse testetur, secus tamen
ac in ejusmodi facto, ceu prætendebant adver-
sarii, notorio docet. Nec tantum hæc signa
solent esse innocentiæ, ac papæ & adseclis, ter-
minus ab Husso prædictus, repentinus fuit fata-
lis: sed etiam eo ipso tempore vel seculo Sigis-
124 mundus Imp. ab iis circumventus † violati ju-
risjurandi pœnas dedit, tam ratione sui ipsius &
deficientis sobolis, quam imperii & vicini Go-
gi Magogi, ceu inducit Campadius *4.v.3 cap.8.*
pag.380.384.388. medioque loco Henricus
Lanzhutensis princeps in literis ad Albertum
à Preysingen *datis* apud Aventinum Bojariæ
encomiasten, hanc infelicitatem fato aut poti-
us Deo vindici tribuit. Sed mitto hæc, & mi-
nus invidiosa ex aliis regionibus subnecto. Et-
125 enim *Decimo septimo* An. 1407. rem novam
& insignem multorum fama diffusam ferunt in
Livoniæ urbe Rigensi contigisse. Magister fra-
trum ordinis Teuthonicorum, cum vellet nu-
ptias conferere inter juvenem possessione
mercatorem, & mulierem, quam idem Magi-
ster non odisset; rehogareturque juvenis,
quod

quod dubiæ videretur mulier pudicitiæ; quæ contemptam suam protabit ad vindictam, ut olim uxor Ægyptii in Joseph, & Pasiphe in Ippolytum: deferens juvenem Magistro fratrum, de furto illum impetivit. Ille jussit publico condemnatum judicio necari juvenem suspendio. Jam moriturus juvenis: Quemadmodum, inquit, hoc in mundo injustè condemnatus morior, ad justum judicem voco Magistrum in diem tertium decimum, mihi de justitia responsurum; ut sibi verum inter se ac me experiatur judicium. Moritur juvenis: Magister auditam evocationem contempsit, vivitque lætus, discutiens melancholiam. Venit dies constituta, & ecce subitâ ægritudine corripitur, certus quod moreretur, adstantibus dixit: En morior, video qui me vocavit adstantem; quo dicto obmutuit & paulò pòst vivendi finem fecit. Alb. Krantzius hoc adnotavit & posteritati reliquit *lib. 11. Vandal. cap. 2.* ex quo id habent Simon Majolus Episcopus Vulturariensis *in dieb. canicul. seu colloq. phys. 4. pag.* 108. *vel juxta alios tom. 1. fol. 86.* Camerarius *d. cent. 3. cap. 58. pag. 131. in fin.* Richterus *d. reg. hist. 290. pag.* 509.

Decimo octavò † eadem Livonia (num verò 126
eadem cum priori sit historia, penes lectorem sit judicium? variare namque authores videntur circa annum, delictum, diem, supplicium, totumque processum, ceu patet ex utriusque

collatione) ejusmodi citationis eventum fuit experta. Etenim A. D. 1423. Magnus Magister fœminam à se corruptam mercatori cuidam ?-bat desponsatum: quod cum viriata matrimonium mercator, homo ingenuus, recusabat. Jussit itaque Magnus ille satrapa hominem latrocinii adcusari. Hanc effictam adcusationem sequutus est carcer, tortura, sententia, exequutio. Mercator ad supplicium ductus, diem dixit tertiam Magistro, qua coram tribunali Dei conpareret. Citatus verò ille miserum nihilominus decollavit. Tertia nocte subsequente ille subitaneo se & gravi morbo tentari sentit, domesticos itaque & amicos conpellans; Orate pro me, inquit, discessum meum jam sentio; adest hora; in jus Dei ambulo. Et cum dicto expiravit. Ita tradunt Paulus ab Eitzen, Theologus Hamburgensis *lib. 3, ethic. cap. 14.* Christian Heroldus *d. diss. de prov. ad jud. Dei in V. l. 3 ... pag.* 12. & 13.

127 *Decimonono* Johannes Hiltenius (cujus quoq; mentionem faciunt Luthe... *tom. 6. oper. Germ. Jenen. fol. 466.* Philippus *in Chron. Carion. lib. 4. p. m. 892.* Greg. Strigenitius *in postil. super domin. 4. advent. conc. 3. fol. 138. in fin.*) Monachus Franciscanus propter confessionem Euangelicæ & refutationem Pontificiæ religionis à fratribus suis An. D. 1496. in carcerem conjectus, inque eo, priusquam defunctus fuit, quædam de laudato Luthero prædixit & simul

ob

ob summam injuriam ad Deum provocavit, sicut alii supra n. 111, 112. 113. 114. 115. & Islebiæ (en in patria Lutheri) ipsius monumentum adhuc conspicitur, quod antiquitatis quidam studiosus fieri fecit, cum hac inscriptione, in medio lapidis posita:

Duo vaticinia Joh. Hilteni,

Unum:

Anno Domini M. D. XVII. exsurget heros, qui vos Monachos adorietur acriter, contra quem ne hiscere quidem audebitis.

Alterum:

Anno M. D C. mundus verberabitur gladio Mahometico vehementer.

CENOTAPHIUM.

Hiltenii patria monachi simul atque prophetæ
Non procul hoc recubant ossa sepulta loco,
Qui cum voce Dei fratrum taxaret abusus,
Pectora contendens vivere justa fide;
Carceris inclusus tandem squalore fameque
Mæsta Prophetarum præmia more tulit.
Sed prius appellans ad Christi voce tribunal
Cum peragenda Deo judice causa foret,
teMpora prInCIpII CeCInIt tVnC pLana LVtheri,
Signa supremam dans præitura diem.
ItaLa regna statIM VICtorI & teVtonICo
sVCCVbItVra pIIs VatICIna VIsa It.
Primaque quod evenit prædictio vera fuisset,
Altera ne fiat vera precare Deum.

128 *Vigesimò* † subeuerit aliud iterum, & quidem de Pontifice Romano; qui ordo nobis aliquot funesta hoc in negotio dedit exempla. Is est Julius III. non reus, sed actor in præsenti judicio; qui simili formulâ uti voluit: num vero debito modo & legitima ex causa hoc instituerit, & eventus conatui responderit, alii videant. Cum ergo per legatos apud Henricum III (alius ponit II.) regem Galliarum testatus esset, Deum fore ultorem, ad eumque se provocare dixisset; Rex admisit, seque pro tribunali Dei adfuturum spospondit; cæterum certo se scire Pontificem vadimonium cum litigio deserturum. Arnold. Clapmarius *tract. de arcan. rerump. lib. 1. de jure imperii cap. 19. pag.* 40. Vent. de Valent. *d. l. c. cap. 1. num. 40. pag.* 78. referens se ad Matth. Steph. *lib. 2. de jurisdict. p. 1. c. 1. m. 2. nu. 196.* Heroldus quoque *d. dissert. pag.* 15.

Vigesimo primo memorabile est & hanc materiam ulterius illustrat, Deum quoque non imploratum sæpe malos ad tribunal suum traxisse *sup. num. 26.* quod Georgius Buchananus, historiographus Scoticus ita recenset: Johan-
129 nes † Cameronus (aliis Camperonus, levi inflexione literæ) Glascuæ Episcopus, in suæ ditionis amplissimæ agricolas, multa crudelitatis & avaritiæ exempla ipse ediderat; multa per eos, quorum in manu summa rerum erat, patranda curaverat; ut dominis iniquo judicio circumventis, bona ad eum redirent, & omnium, quæ popu-

populariter fiebant, malorum vel author vel fautor credebatur. Ejus vel dignum vita nefastæ persoluisse tradunt exitum. Pridie natalem Christi, cum in villa quadam sua, ad septem millia passuum à Glascua distâte quiesceret, vocem ingentem audire visus, se ad tribunal Christi, ut causam diceret vocantis, ex ea repentina perturbatione somno excussus, famulos excitat, illatoq; lumine assidere jubet. Ipse libro in manum sumto, cum legere incepisset, eadem iterum vox omnium animos stupore defixit. Deinde cum longè vehementius atque terribilius insonuisset: Episcopus, ingenti gemitu edito, lingua exertâ, mortuus in lecto est inventus. Hoc (pergit historicus) tam perspicuum divinæ ultionis exemplum, ut neque temerè affirmare nec refellere est animus: ita cum ab aliis sit proditum & constanti rumore pervulgatum, omittere visum non est. Buchan. *lib.* 11. *rer. Scotic.* Camerar. *d. cent.* 5. *c.* 58. *pag.* 32. Richter *d. reg. hist.* 200 *pag.* 509: Herold *d. dissert. pag.* 23. Ob admirationem rei gestæ, quod † Deus interdum, sua sponte to- 130
tam causam, personas & acta ad suum quasi judicium seu forum pertrahat, ita ut vix vestigium in hac terra relinquatur, memorabile exemplum juvat huc adducere ex Simone Majolo, qui se vivum testem esse scribit, hisce verbis: Videamus recensendi quædam rerum eventus divino nutu permissi in judiciis dirimendis,

dis, velut est qui compertum nobis est adcidisse, Gregorio XIII. Pontif. Erat institutum judicium de rebus fidei adversus Johannem Casierum Magistrum totius Rhodiensium Ordinis. Judices delegati, actuariique & testes jam acta peregerant in Melite Insula, erat adcusationis princeps Romagasius Eques: evocati sunt omnes ad Gregorium Romam A.D.1591. Nobis igitur spectantibus, Romam venere adcusator & reus mense novembri. Mirum accidit, Decembri proximo obiit Romagasius, adcusatoris officium gerens, obiit propediem adcusatus Magister, eodemque templo Trinitatis uterque Sepulturæ traditus est. Dum è Melite delegati Judices, Actuariique cum Actis ac Testibus navigio veherentur eodem mense, naufragio omnes ii perierunt, atque ipsa quoque acta, atque ita nulla tanti judicii instituti portio salva remansit. Adeò omnia perpetuæ oblivioni tradenda Deus constituit, ut ejus judicii nullum vestigium adparuerit, dicente Majolo *tom. 1. dier. canicul. seu colloq. phys. 4. fol. 83.* ubi postea alia divinæ vindictæ ac liberationis exempla subjicit, & inter cætera, quod huc pertinet, relatumque est *sup. num.* 125. & quoad Ordinem Rhodiensem confer parallela de ordine Templariorum *sup. num.* 107. 108. 109. 110. 111. Ego ad priora redeo.

Vigesimum secundum itaque exemplum huc directò spectans refert idem Buchananus in

hunc

hunc modum: In Scotia An. C. 15.26. patri-
cius quidam † Hamiltonius, è Johannis Du- 131
cis Albini sorore & Comitis Araniæ fratre na-
tus, juvenis ingenio summo & eruditione sin-
gulari, conjuratione sacerdotum oppressus, ad
fanum Andreæ vivus fuit crematus. Non adeò
diu post ejus supplicium animos hominum
conterruit Alexandri Campelli mors. Is erat
è sodalitio Dominicanorum & ipse magno in-
genio juvenis, & eorum, qui Thomæ Aquina-
tis sectam imitantur inter eruditiores habitus.
Cum eo Patricius de scripturæ sacræ interpre-
tatione sæpè contulerat ac differendo eo per-
duxit: ut omnia prope capita, quæ tum habe-
bantur paradoxa, vera fateretur. Nihilominus
Alexander vitæ quàm veri cupidior, à suis per-
suasus, eum publicè accusavit. Patricius, ut e-
rat naturâ vehementior, hanc hominis ambi-
tiosi pravam gloriæ captationem ferre non po-
tuit, sed palam exclamavit: Ego te, hominum
nequissime, qui, quæ nunc damnas, ea vera es-
se scis, ut pauci sante diebus apud me es con-
fessus, ad tribunal Dei vivi in jus voco. Quâ
voce Alexander perturbatus, nunquam ex eo
die compos mentis fuit: ac non multo post
insaniâ confl ctatus obiit. Buchan. *lib. 14. rer.
Scot.* Camer. *d. cap. 38. pag. 145.* Richter. *d. reg.
299. pag.* 210. Herold. *d. dissert. pag.* 12.

Vigesimò tertiò, huc quoque ex eodem Bu-
chanano referendum est † Georgii Sophocar- 132
dii ra-

dii vaticinium, paulò ante supplicium ab ipso prolatū. Cum enim id Cardinalis ex arce munitissima suæ, Fani Andreæ, cum suo grege, ex fenestris & propugnaculis, tapetibus, stragulis sericis, & pulvinis exornatis, magna cum pompa & frequentia armatorum machinis æneis, ad ostentationem potentiæ per totam arcem, locis idoneis dispositis lætus conspiceret: & incenso rogo præfectus arcis (qui tam prope adstabat, ut flammæ adflatu amburereturr) Sophocardium, ad palum funibus adligatum, hortatus esset: ut bono animo esset ac delictorum veniam à Deo peteret: cui ille, hæc quidem flamma corpori, inquit, adtulit molestiã, animum verò non fregit: at qui nos, ex editiori loco, tam superbè despicit, intra paucos dies, non minus ignominiosè jacebit: quam nunc arroganter cubat. Hęc locuto, funis circa faucē arctius adstrictus, vocem interclusit. Non multo post Cardinalis ob superbiam, & alia vitia, à nonnullis conjuratis, occupatâ arce interfectus est: & ejus cadaver exanimatum, concurrentibus ejus amicis, ad obsidionem arcis, oculis omnium expositum est: in illo ipso loco, unde ipse, non multo ante Georgii Sophocardii supplicium tam lætus spectaverat. Nec subibat modo (pergit idem Buchananus) animos rerum humanarum inconstantia, & inexspectatus eventus: sed mortis occurrebat Georgii illa, de illius morte prædictio: multaque alia,

alia, quæ sanctissimus vir ille, non sine divino (ut credibile est) Spiritus afflatu ventura præmonuerat: ut brevi secutus exitus comprobavit, Buchan. *lib.* 15. *rer. Scot.* Camer. *dec.* 38. *p.* 133. Richterus *de reg.* 299. *p.* 510. Sed † utramque 33 historiam, nempe Hamiltonii, maxime autem Sophocardii, plenius exhibet Jacobus Augustus Thuanus, qui omnibus circumstantiis insertis & pro divino dono eloquentiæ ita scribit: Illustre exemplum hujus regulæ est Cardinalis Santandreanus in Scotia. Is jam rerum potens qui Jacobum Hamiltonium proregem in potestate habebat, & obsidis loco, quod levitati ipsius parum fideret, filium in arce Santandreana asservabat, per totum regnum liberè discursare, & in Lutheri doctrinæ suspectos, quorum jam magnus numerus in Scotia erat, inquirere, immissis ex ordine sacro adcursatoribus; atque in primis contra Georgium Sophocardium concionatorem populo acceptissimum, qui VIII ab Edinburgo milliaribus apud Joan. Cochurnum diversabatur. Sed cum Cochurnus de eo tradendo à Cardinali sollicitatus moras necteret: Cardinalis cum prorege intempesta nocte improvisus eò venit, omnibusque aditibus obsessis, nihil tamen efficere potuit, donec Jacobus Hebburnus, Botueliæ Comes è propinqua villa à Cardinali evocatus, à Cochurno impetravit, ut Georgius ipsi dederetur: fide data, se ab omni damno & in-

& injuria eum defensurum. Id actum mense Januario anni sequentis. Sed mox tamen contra fidem datam Georgius in manus Ecclesiasticorum traditur, & Edimburgo Fanum Andreæ transfertur. Prorex à Davide Hamiltonio Prestoniano monitus, ut Georgio fidem servaret: eumque è manibus Cardinalis eriperet, ad Cardinalem scribit, mandatque ne judicium præcipitaret: sed rem integram servaret usque in suum adventum. Quo responso accepto, Cardinalis cum non dubitaret, si diutius cunctaretur, virum vulgo gratiosum judicio ereptum iri; Georgium è carcere producit: & festinato judicio ad mortem damnandum curat. Cum Joan. Viniramus, Georgio æquior, Cardinalem ejus nomine rogaret: ut sacri corporis & sanguinis communio reo permitteretur: re cum Episcopis consultata ex eorum sententia respondit: non videri æquum, ut pertinax hæreticus ab Ecclesia damnatus, ullis Ecclesiæ beneficiis frueretur. His ad eum perlatis, cum præfecti arcis familiares ad jentaculum mane horâ novâ convenissent: & ille ab iis ad cibum unâ sumendum invitatus esset: occasionem captans factâ audientiâ circumstantes de usu cœnæ Dominicæ ex doctrina Lutheri commonefacit: & panem ac vinum comedendum & propinãdum, cum ipse prius sumsisset, porrexit: deinde convivis valedixit. Ad supplicium ductus, cum in pyra exstructa

ad

ad palam staret. & Cardinalis ex adversa fenestra tapetibus ac stragulis sericis & pulvillis ornata, spectaculo frueretur, jam ardente flammâ, hortante Georgium præfecto, ut bono animo esset. Hæc quidem flamma (inquit ille) corpori molesta est; cæterum animum minimè frangit. At qui nos ex editiore loco tam superbè despicit: intra paucos dies, quam nunc arroganter sedet, tam ignominiosè jacebit. Hæc loquenti fune adstricto vox inclusa est. Nec vaticinio exitus defuit. Nam Cardinalis quam Ecclesiasticis carus, tam nobilitati & populo odiosus, cum Normano Leslio, cujus modò mentionem fecimus, viro de se multis officiis optimè merito ob rem levem tunc forte in contentionem incidit. cumque se litigiosa ægre cessisset Leslius: ac post aliquot menses promissa repeteret, è sermone in altercationem ac postremò convitia inciderunt: infestissimisque animis utrinque discessum est. Leslius qui se fraude circumscriptum dolebat, de injuria apud suos expostulans, facile eos induxit: ut in Cardinalis cædem conjurarent. Igitur circiter Non. Maji Fanum Andreæ, cum quinque tantum comitibus venit, ne suspicionem de se excitaret: præmissis ante X. consciis; qui alii alio in loco diversabantur. Muniendæ arci intentus erat Cardinalis tanta festinatione: ut diei noctem in opere continuaret. Cum diluculo ad operas intromittendas aperiretur

porta:

porta: duo in insidiis in domuncula propinqua collocati, janitorem comprehendunt: signoque sociis dato, uti convenerat, sine tumultu omnes ingrediuntur: quatuor missi, qui Cardinalis cubiculi ostium observarent, alii excitatis famulis & reliquo comitatu semisomnes singulos carpunt: & mortem, si muttirent, comminati, extra arcem inviolatos emittunt. Tum demum ad Cardinalem tendunt: & ostio pulsato editisque nominibus, incolumitate etiam promissa, intro admissi trementem multis vulneribus confodiunt. Amici, qui in civitate erant, ad famam rei evocati, cum tumultuosè ad arma clamantes accurrerent, Lusius, ut tumultum sedaret, corpus exanime omnium oculis exponi jubet, in illa ipsa fenestra, ex qua nuper Sophocardi supplicium latens spectaverat. Ita verum illius vaticinium fuisse eventu comprobatum est. Hactenus V. CL. Jac. Aug. Thuanus *lib. 5. hist. p.m. 63.* ex quo eodem loco desumsit Richterus *d. appar.*
134 *hist. seg. 159. p. 192. & 193.* Huc † *vigesimo quarto* referenda sunt miscellanea dicta & facta, quæ sub Carolo IX. Gallorum rege, Parisiensisque lanienæ editore contigerunt, & collegimus apud Jac. Aug. Thuanum, dum de magnanimo Colinio, sclopetis petito, hæc inter cætera verba facit: *Haccine est* (Navarræ & Condææ) *bella reconciliatio, cujus Rex sponsor exstitit? Itane, mi frater* (pergit ad Maurum, reginæ Navar-

vatteoli concionatorem) nunc è somnio me à Deo *diligi, quando propter sanctissimum ipsius nomen has plagas accepi. Faxit Deus ipse, ne usitatæ suæ erga me clementiæ unquam obliviscatur;* eademque erga Merbinum Condæi concionatorem repetiit, postea autem ad Regem perductus ait: *Testis est mihi Deus, ad cujus tribunal jam sisti videor, me quamdiu vixi, fidissimum semper erga Majestatem tuam fuisse.* Novâ autem cæde Ghotta & dum majus periculum imminere sentiret, ita amicos adfatur: *Video quid agatur, ad mortem quam nunquam expavi & quam jampridem animo præcepi, patienter subeundam paratus sum. Felicem me, qui me mori sentiam & in Deo, cujus gratiâ in spem vitæ æternæ erigor, moriturus sum; jam humanis præsidiis nihil amplius egeo: Vos autem quam citissime hinc facessite, ne mea calamitate involvamini, vestræque olim uxores mihi mortuo malè comprecentur, quasi exitii vestri causa extiterim. Dei præsentia, cujus bonitati animam hanc meam è corpore evolaturam commendo, mihi abunde est. Quo facto cum Bemius stricto gladio à Colinio pone fores stanti, tune Colinius es? quæreret, ille intrepido vultu: Ego verò sum, respondit, tu verò juvenis annos meos reverere: quicquid feceris, vitam meam nihilo breviorem efficies. Quidam scribunt, Colinium etiam in morte indignabundo hæc verba excidisse: Saltem à viro, nec lixæ manu morerer. Attamen certè unus ex percussoribus hoc memorabile, qui & hoc addebat,*

hactenus quam vidisse se hominem tam præsenti pe-
riculo tanta constantia mortem pertulisse. Idem
135 historicus una alterave pagina interjecta, de †
Armanno Claromontio Pilio (qui *vigesimum*
quartum potest esse exemplum) hæc habet: *Se-*
cum ex arce ad laniénam educeretur & ante acer-
vos occisorum jam moriturus staret, inclamasse di-
citur: Hæccine est Regis fides? hæc promissa? hæc
pax? At tu Deus opt. Max. oppressorum causam
tuere, tantamque perfidiam olim & immanitatē
136 *justus judex vindica!* Similiter † Gabriel comes
Mongomerius in vincula conjectus violentæ
quęstioni seu torturæ subpositus, mortiq; vici-
nus ad circumstantem populum imperterrito
vultu respiciens, & ut pro se ad Deum preces
funderet, subinde rogans, pari constantia mor-
tem pertulit. Cum è custodia ante judices
interrogandus sisteretur, confessum illum ve-
ritus dicitur confessus, se, qui tot hostium nu-
merosas acies intrepidus spectasset, ad iner-
mium virorum conspectum & animo & cor-
pore toto cohorruisse. Hic exitus fuit viri
multis expeditionibus, summa celeritate con-
137 fectis clari. Ita quoque inter protestantes †
Santomanius, excelsi animi vir, & *vigesimi*
sexti exempli loco, magnâ fiduciâ tale dedit re-
sponsum: *Sibi cum tribus in Dei causa tuenda ho-*
stibus rem fuisse, quorum primus, caro nimis pec-
cabat, plena victoria vitæ erepta fuerit, de secundo spe-
rare, ut falsis inimicorum criminibus indigne peti-

tus

tus minus ipsi iniquus sit, & inposterum omninò concilietur; superesse tertium, nempe Regem, quem honorificè et demissè appellet, qui ut si in oppugnanda Dei causa pergat, neque fratris exemplo sapiat, ultorem proculdubio Deum ipsum tandem sit experturus. Hæc in Gallia contigerunt An. C. 1572.& 74. morsque Regis intervenit & totũ regnum turbatum mansit, variique malorum authores Deum hominesque in tota Europa inimicos experti fuerunt, quæ omnia passim inculcat Thuanus *lib.52.histor.p.m.1048.1049. 1051.1054. & lib.58.pag.6. cum lib.59.pag.28.* hujusque rei prænuncii & contestes quasi fuerunt non modò † Stella nova sub Cassiopeæ 138
asterismo tunc temporis conspecta & variis astronomorũ scribtis illustrata: sed etiam grassante eâdem sævitiâ Oxyacantha (quod rubi genus vulgò albam spinam vocant) n S. Innocentii cæmeterio, alieno planè tempore florẽ emisit, hocque euangelici pro omine iterum habuerunt, ceu pluribus indicat idem Thuanus *d.lib.52.histor.p.m.1057. & lib 54.p.1094.* Observandum est *vigesimo septimo* † nostrum 139
quoq; seculum nempe ab A.C.1600.istiusmodi citationis vel evocationis exemplum unum alterumque nobis suppeditasse. Fuit quippe nostra ætate (inquit author) in Curia parlamenti Parisiensis vir insignis, cognomine Gõtier, qui causam agitabat satis arduam, Omnes tamen Jurisperiti, intentionem ipsius optimè

in jure fundatam esse expendentes, ipsum de victoriá securum esse jubebant. Adversarius verò ejus de jure suo desperabundus rabulam quendam famosum conduxit. Hic patrociniũ ejus suscipiens, tanto in agendo usus est artificio, ut tritum istud verificaret:

Tort bien mené rend bon droict inutile.

Gontier porrò Advocato isti obviam factus, nequitiam ipsi suam non perfunctoriè exprobrans, demum adjunxit: Injuria quidem ista mihi diu molestiam non facesset, mox enim me habiturum spero gratiorem hereditatem in Paradiso, prę Parisiensi hac, quam iniquitas mihi tua ademit in terrá istá, quæ Justitiam mihi denegat; certus sanè sum, Divinam illam Justitiam in cælesti curia à meis staturam partibus, ubi nec corruptio, nec favor, nec personarum pollet adspectus. Dicam igitur tibi scribo ut intra tres menses conpareas coram magno judice, illic, ubi spero fore Revisionem nostrorum actorum. Cæterum Advocatus hanc citationem Gontieri inputans indignationi adeò nihil eam fecit, ut cum paulò pòst ordinarius Curiæ procurator, nomine Chauvelin, animã ageret, Advocatus ille per jocũ diceret: Chauvelin plaidera pour moy en l'aultre monde i.e. Chauvelinus pro me causam dicet in altero mundo. Verùm advèniente Citationis termino, Mors, supremi tabellio, advocatum obtorto collo sine ulla termini prolatione ad ju-

dicam

dicum judicem supremum pertraxit. Ita Heroldus *d. diss. de prov. ad judic. in val. Jos. pag. 20. & 21.* post Gaulard, *au troisieme volum. du thresor des histoir. admirables. Vigesimum octavum*, idque recentissimum exemplum recensuit idem Heroldus istis verbis: Hoc à fide dignis mihi relatum est: Erat, inquiunt populares †140
Vippurgi in Dania nostrá, vir nobilis primarius Thomas Fassi, ex antiqua familiá. Is inter quæstores suos unum habebat inprimis opulentum. Quare varia retia tendebat, ut frui aureá illá prædá posset. Cum diu frustrà fuisset, hac tandem occasione voti se compotem fieri posse credebat: Quæstor iste cum Nobili commessatus per errorem Nobilis gladium pro suo arripuit, secumque asportavit. Hic nobilis statim homines certos ad ipsum ablegavit, qui furti eum arguerent, & gladium domini repeterent. Ille verò sibi benè conscius & constans, Furtum hoc esse negavit, agnoscere se autem errorem dixit, & gladium hîc sartum tectum reddere, adeoque eundem errorem deprecari. Nihil obtinuit apud hominem opibus ipsius pertinaciter inhiantem, suspendio igitur indigno vitam ipsum finire oportuit. Miser quæstor circumspiciens & ab omni Justitia nudum se videns, ipsum Nobilem ad Dei vocat Judicium, idque intra annum. Sanè non modò Nobilis eo anno decessit, verùm novo & horrendo exemplo totius familiæ i-

stius Fassiotum reliquiæ jam modò sunt ever-ritæ. Eousque Heroldus *d.differt.pag.21.& 22.* Et hæc non nihil juxta seriem annorum & imperiorum recensuimus, supersunt adhuc alia promiscui seculi & nationis exempla, minimè prætereunda. Ex horum numero est *vigesimo*
Y4 *nonò*, quod de † Ferdinando Legionis ita narrant: Ferdinandus IV. (aliis III.) Hispaniæ rex, filius Sancti IV. licet bello paceque bonus habitus, attamen in judicando præceps aut rigidus & ad sævitiam inclinare visus fuit; is nobiles duos & scutiferos, Petrum & Johannem Carvai (nonnulli vocant Carvaial) ob occultam Benavidii cædem perduellionis suspectos ex altissima turre præcipites dari jusserat. Qui, ut ut crimen constanter pernegarent, neque testibus aut aliis probationibus convicti essēt, nihil apud contumacem magis, quam justum Regem profecerunt. Adducti igitur & adacti ad vertiginosam mortem, se innocentes mori & quoniam Regis aures justissimæ defensioni obstructæ essent, ad Tribunal se divinum adpellare clamarunt; proindeque ad trigesimum diem se judicio sistere Rex memi-nisset. Dicta nihil valuerunt, sententia tenuit: attamen ipsorum vadatio sanè nec tempore, nec die fallax fuit. Illuxit quippe Regi funesti & fastus dies trigesimus, quo cum dormire Rex domestici videretur, in fata planè & judicium istud concessit, juvenis florens annos

non

non plus XXIV. & menses IX. natus; juxta Fulgos. *lib.1.cap.6.* Naucler. *vol.2.* Mich.Ritiũ *lib.3.de reg.Hisp.* Pet.de la Primudaye *tom.1.des Academ.Franc.cap.*38. Just.Lipsium *d.2.monit.polit.11.* (qui A.C. 1312, exprimit, simulque addit, quod Rex animi securus, Alcaudetem in castra abierit, contra Mauros, ibique morbo statim tentatus, sed levi, Giennium se contulerit, atque VII. Idus Septembris h.e. ipso trigesimo à supplicio die, in lecto examinatus repertus fuerit) Joh. Marianam *lib.15.hispan.annal.cap.*11. Sim. Majolum *d.tom.2.dier.canicul.colloq.2.fol.*524. Matth. Stephani *tr.de jurisdict.l.2.p.1.c.1.mem.2.nu.*191. Camerar. *d.cap.38.pag.*130. Norderman. *de jure prinsipat. d. concl.* 51. (qui etiam citat Tarcagnottam *lib.15. della historia del mondo*) Richterum *d.reg.*299. *p.*508. Vent.de Valent. *d.lib.1.parthen.litig.cap.1.nu.*38. *pag.*18. hisque non nominatis Heroldum *d.dissert.pag.8.*

Trigesimò † præsentis formula evocationis 142 non uni nationi fuit cognita, sed diversissimis gentibus celebrata, velut hactenus audivimus & ulterius adparet ex sequentibus. Inter illa est, quod apud Westrogothos vir illustris & eximius, Joannes Thurson, pater Turonis Jenson, equitis aurati & supremi judicis severius quam equum regnicolá quemdam capite jussit plecti. Hic genibus flexis, iisque innixus & capite truncandus eidem Sa-

trapæ ita valedixit: En morior, moriorque injustè judicatus; te igitur voco hac ipsâ horâ ante tribunal Dei, ut respondeas, cur me condemnes innocentem, liteque nondum finitâ. Stupendus & nimis quàm subitus citationis eventus! Sublimis ille vir, homine sub gladio cadente & ipse ab equo corruit, socius ejus factus ante tribunal cœli, quem iniquè judicaverat in terra. Olaus Magnus *hist. de gentib. Septent. lib 2. aliis 14. cap. 20.* Majolus *d. colloq. 2. fol. 524.* Vent. de Valent. *d. cap. 1. nu. seq. 39.* Matth. Stephani *d. lo. nu 192.*

143 *Trigesimo primò* † Liguria pars nota Italię est. Ibi Genuensium triremes adversus piratas emissæ, biremem Gotholanam cepêre. In Siculorum itaque & Gotholanorum contemtum, extra Drepanum rectorem biremis noctu furcæ adfixerunt. Miser ille diu frustra questus, nihil unquam se Genuensibus nocuisse; ut illos plus odio gentis in transversum rapi, quam æquitate moveri, mortisque suæ authorem præcipuum triarchum Genuensem esse vidit, evocavit illum, ut se intra sextum mensem ante Deum judicem sisteret; vocatione neutiquam irritâ. Ligur enim die condictâ ad plures & actorem suum abiit, respôsurus. Fulgos. *d. lib. 1. cap. 6.* Majolus *d. coll. & pag.* Goulart. *d. vol. 3. du thresor. des histoir. admirab.* Herold. *d. diss. pag.* 10. & 11.

144 *Trigesimo secundò* † Britannicæ quoque Insulæ

sulæ & iterum Scotia, aliam citationem evenientibus similimam audivêre. Ex quibus hæc erit, ubi nec frater à fratre citando abstinuit. Dux quippe Arremoricæ Britanniæ Franciscus, Ægidium fratrem à consiliariis læsæ majestatis falsò adcusatum in carcerem conjecit. Ægidius cum ex fama horam instare fatalem cerneret, advocato, quem per fenestram forte cōspexerat, Franciscano Monacho, jurejurando ipsum adstrinxit, ut fratri nunciaret, intra quadragesimum diem ad Dei tribunal se sistere meminisset. Franciscanus cum Ducem in Normandiæ finibus offendisset, fratris mortē, ejusq; ad summum Dei judicium factā adpellationem illi denunciavit. Territus eo nuncio Franciscus ilicò male habere cepit, & crescente indies morbo, ad dictum diem judicialē exspiravit. Balshas. Exnerus *in Val. Max. Christiano lib. 7. cap. 48.* à quo id mutuò sumsit Heroldus *d. pag.* 11. & ante hos, quomodò illud factum describat, vide Æneam Sylvium, postea Rom. Pontif. factum & Pium II. dictum in *lib. de Europæ statu sub Frid. III. Imp. cap. 39.* apud Marq. Freherum *tom. 2. rer. German. fol. 84.* Ego addo *trigesimo tertio* & ferè (nam in eo differunt, quod hoc nondum ad effectum deductum) parallelum, ubi frater minatus fuit †145 fratrem suum coram Deo velle præ cæteris adcusare, si majestatem divinam violaret. Sæviente enim Vandalorum persequutione, ger-

 ma-

mani duo fratres juramento ſeipſos obſtrinxerant, ſe quodvis potius tormentorum genus, adeoque mortem ipſam perpeti velle, quàm fidem in Chriſtũ abjicere aut abnegare. Mox cum in ſtipite tortorio nervis diſtenti per totum diem penderent, magni ponderis ſaxo pedibus adligato: alter fratrum doloribus tantum non ſubcumbens liberari ſe, ut ſpiritum fermè amiſſum recolligeret & breve deliberandi ſpacium ſibi ſumeret, petiit. Ibi alter & ipſe nervis toto corpore diſtentus: Quid, inquit, frater agis? Aliud certe juramentum, quo redemtori noſtro Chriſto obſtricti ſumus, â nobis requirit. Ipſemet ego coram tribunali ſummi judicis te âdcuſaturus ſum. Perceptione corporis & ſanguinis Chriſti, nos ipſos quaſi jurejurando devinximus, quod omnia ſuppliciorum genera, ipſam quoque mortem crudeliſſimam unà pro Chriſti gloria ſubire promti & parati eſſe velimus. Hiſce verbis alter confirmatus, tortoribus alacri animo inſultans, protinus exclamat: Omnia agite, huc in nos tela convertite, ſupplicia ſuppliciis, tormenta tormentis cumulate; nihilominus fratris mei conſtantiam firmo animo ſecuturus ſum. Ibi verò carnifices exacerbati candentibus ferri laminis membra eorum exuſſerunt, uncisque dilacerarunt, & quidem fœdè adeò, ut tortores ipſi horrore concuſſi oculos averterent, dicẽtes: Profectò his univerſis adhærebit populus.

nec

nec facile aliquis ad nostram converteretur religionem. *Victor lib. 3, de persec. Vandal. And. Hondorffius in theat. hist. seu promptuar. exempl. 1. praecep. p. m. 28.*

Trigesimo quarto † quod majus, nec ipsi parentes ab ejusmodi provocatione & inploratione abstinuerunt. Chramnus siquidem Clotharii Francorum regis filius, erga Dei ministros crudelis, erga patrem verò inpius, instar Absolonis adversus patrem bellum civile movit. Mox patrem fugiens, Britanniam petiit, ibique cum Conoobro Britannorum Comite ipse & uxor ejus, ac filiæ latuerunt. Clotharius eum cum exercitu insequitur. Sed nec ille contra patrem egredi timuit. Prælium initurus rex Clotharius ad Dominum clamans; Respice, inquit, Domine de cœlo, & judica causam meam, quia injuste à filio injurias patior; respice & judicia justè, illudque inpone judicium, quod quondam inter Absolonem & patrem ejus David posuisti. Confligētibus igitur pariter, Britannorum Comes terga vertit, ibique & cecidit. Denique Chramnus fugam iniit, naves in mari paratas habens. Sed dum uxorem & filias liberare voluit ab exercitu patris obpressus, captus atque ligatus est. Quod cum Clothario Regi nunciatum fuisset, jussit eum inclusum in tugurio cujusdam pauperculæ, cū uxore & filiabus igne consumi. Greg. Turonensis *lib. 4, cap. 16. & 20.* And. Hon- 146

dorff.

dorff. *d. prompt. exempl. in 3. vraecep. p. m. 301.*

147 *Trigesimo quintò* † Germania quoque nostra (in qua sæpius hoc contigisse ait Simon Majolus Episcopus Vulturariensis *d. tom. 2. dier. canicul. colloq. 2 fol. 524.*) vidit inter cætera & hoc exemplum, in specie de Josaphati valle conceptum. In ea Dux quidam Austriacus, cui Rudolpho nomen erat, nobilem quem non-inprobum oderat, conprehendi, culeo insui, aquisque inmergi jusserat. Is jam de ponte præcipitandus, principem ex fenestra supplicium prospectantem, intentâ voce ita adloquitur: Ente ad inexorabile tribunal Dei justi, quod in valle Josaphat, evoco; ibi intra annum te siste, & cur me insontem hac lentâ exstingui morte tibi placuerit, causam ede. Cui princeps: Præi, & sequar, inquit. Prope igitur finem deducto anno, ejusque die ultimo conparente, in castrum quoddam, animi causa, discessit, postque lautum prandium leviculâ tentatus febri: Heu me miserum, exclamat, promissum me vadimonium obire necessum est, vadari me sentio, injectâ manu invitus ducor, trahor, rapior. Et dictum factum, insimul mortem obit. Felix Malleolus *de consolat. iniquè oppress.* Heroldus *d. dissert. de prov. ad val. Joseph. pag. 13. & 14.*

Trigesimo sextò, ad clericos redeo, simileque
148 est, quod de † Abbate Monasterii S. Jacobi apud Leodium indubitata fide traditur. Mona-

ste-

ſterium iſtud adoleſcens quidam majoris Præpoſiti Conſobrinus intraverat. Præpoſitus hôc audito ad Abbatem mandat, per Clericos juvenem agnatum remittat. Prohibet Abbatem religio, verùm Præpoſitum non arcet. Qui forti ſatellitum manu juvenem rapit, & demto cucullo, ſeculari veſtitu redinduit. Abbas cum civitatis primoribus Epiſcopum & adeò totû Clerum interpellat pro injuria. Epiſcopus verò nec auditum Abbatem verbis inſuper duriter habet. Tum flexis Abbas genibus modeſtè ad Præpoſitum: Deficit mihi contra te, ô Præpoſite, Judex in terris, ideoque Deum ſummum judicem contra te conſtituo & interpello, ut intra quadraginta dies uterque noſtrûm coram illo conpareat, ſententiam pro meritis accepturus. Præſul, nil niſi hominem ridet, ſpernit, repellit. Quadrageſimo autem die Abbas ille circa nonam expirat, & ad Judicem ſuum properat. Præpoſitus tum fortè in balneo ſedens, campanam pulſari audit, & ex familia, quis ſonitus hic eſſet, ſciſcitatur. Reſpondet quidam ingrediens: pro Abbate S. Jacobi modò defuncto pulſationem fieri ſolennem. Nec morá, Præpoſito in mentem venit, hunc eſſe diem quadrageſimum ſibi poſitum judicialem. Conſternato itaque animo ad adſtantes dicit: Quid de me fiet, mox videbitis, ilicò mori me & coram ſummi judicis adſpectu hodie conparere oportebit; & cum verbo

è bal-

è balneo festinans inter adstantium manus animam dirè ejulantem & vociferantem emittit. Thom. Cantipratensis *l.2. de miracul.cap.* 55,§.2. Herold. *d.diss.pag.* 18.

Trigesimo septimò, ejusdem fidei, sed pœnitentia interveniente diversi eventus est exem-
149 plum † Abbatis S. Johannis in Valenciennis. Hic comitem quemdam Hanoniæ, Canonicos regulares Ecclesiæ istius expellere & seculares superinducere conantem, adpellatione ad divinum judicium absterruit. Adpropinquante enim citationis die, cum Abbas inciperet infirmari, & se ad hoc forum veluti præpararet, Comes ille causæ iniquitatem oportunè agnovit, nec exspectatá supremi judicis sententia, cessit. Cantiprat. *d.lo.§.seq.13.al.3.* Herold. *pag.seq.19.*

150 *Trigesimo octavò*, non cessit † Agrestius Hæreticus, quod ob adfinitatem superioribus addere placet exemplum & quidem tale, ubi & vivus discipulusque alius pro alio & mortuo magistroque suo provocavit, sibique injuriam consequenter illatam ostendit. Is namque Agrestius B. Columbanum mortuum convitiis plurimis & calumniis, præsente B. Eustachio Abbate laceráverat. Eustachius (ut erat sagax & virtute patientiæ scientiæque insignis.) inpatienter ferens hunc canem pii ossa defuncti adrodere, his eum verbis in Matisconensi concilio est adloquutus & ultus: In horum, inquiens,

quiēs, præsentia sacerdotum T. Ego Columbani discipulus, successor & assertor istius, cujus tu disciplinam & instituta damnas, ad divinum judicium cum illo intra præsentis anni circulum disceptaturum invito, ut istius Judicis examen sentias, cujus famulum tuis obtrectationibus maculare conaris. Admonitioni isti cum locus non esset apud Agrestium, citationi sane apud Deum fuit, & ita fuit, ut ante triginta dierum circulum, priusquam vertentis anni meta conpleretur, à servo suo, quem ipse redemerat, securi percussus, Agrestius interiret. Jonas Abbas ejus σύγχρονος *in vita Eustach. cap. 6.* citatus à Del Rione *tom. 2. disquis. magic. lib. 4. cap. 4. q. 4. sect.* Majolo *d. tom. 2. colloq. 2. fol.* 524 Heroldo *d. pag.* 19.

Trigesimo nono huic † Menuercum Paderbornensem Episcopum ex iisdem adsocio. Is 151
gravi contumeliá à Corbeiensi quodam Monacho adfectus, ei, Redditurum altissimo facti rationem, pernunciavit. Risit Monachus, mortuus Antistes, & alacer ille ante, nec malum ullum sentiens Monachus, in ipsa hora mortis Episcopi exspiravit. Alb. Krantzius *lib. 4. metropol. cap.* 4. exque eo Majolus *d. colloq. 2. fol.* 524. Herold, *d. lo. pag. seq.* 20.

Quadragesimò agmen claudat Ecclesiæ hostis infensissimus † Turca, qui hanc provoca- 152
tionem didicit à Christianis & *jure retortionis* usus contra fœdifragos (aliàs exauditione indignus,

153 dignus, etiamsi † Turcæ caput radant, excepto vertice, in quo ideò villum relinquunt, ut Muhammedes propheta eos conprehendere & à terra sublevare queat in die judicii, cujus rei memini *in prodrom. mear. observat. theoret. pract. cap. 5. nu. 39. & 216.* ex Bellonio *lib. 3. observat. cap. 39.* Martinio *in lexic. philol. verb. Schanobaites fol. 3464.* nec non ad præsentem materiam pertinet, Muhammedanus seu Turcicus judici-
154 orum mos, ubi † actor ipsemet reum adit & coram testibus ad Dei justitiam, ut loquuntur, vocat, & ad judicem sive Cadium suum, obtorto quasi collo trahit, qui litem decisione finit, ceu pluribus indicat Lipsius *lib. 2. monit. polit. c. 10. in fin.*) talemque obtestationem A. D. 1444. pridie D. Martini sequuta fuit memorabilis ista Clades Varnensis, & quidem culpa iterum Pontificiorum, summo cum Christianæ reipublicæ dedecore & damno. Historici id pluribus detegunt, qui consulendi, & inter alia sic scribunt: Causa tantæ cladis absque ulla dubitatione fuit, icti cum Amurathe VIIi. fœderis violatio (velut Innocētii Papæ & ipsius adseclarum instinctu quoque Henrici VI. Imp.
155 tempore inter † Christianos & Sarracenos factum, indeque magna turbatio & nullus ferè fructus sequutus, teste felice Fabro Monacho Ulmense *lib. 1. histor. Suev. cap. 12. p. m. 107.*) quæ inpulsu Juliani Cæsarini Cardinalis facta est. Cùm enim utilitate suá jus metiretur,

com-

commodum ratus adoriri Turcas, author extitit Uladislao regi & Johanni Hunniadi rumpendæ pacis, quæ utrumque jurisjurandi religione firmata erat. Ac ne † fides hosti data 156
obstare videretur, inventa est fraus legis, nullū scilicet valere fœdus, quod inconsulto Pontifice cum hostibus religionis ictum esset. Cum igitur jam ad Christianos spectaret victoria, Amurathes cruce Christi in Christianorum acie conspecta: Vindica (inquit) Christe, si Deus es, hanc servorum tuorum perfidiam. Mox submisso recenti milite pugnam instaurat & Christianos in fugam vertit. Uladislaus rex equo lethaliter sauciato prolabsus, multis vulneribus confossus est: Episcopi (quos in †157
templis ac scholis quàm in acie & aulis conspici satius fuerat & decentius, ceu præter Peucerum pie dixit Georgius Fabricius *de orig. Sax. lib.6.* apud Philip. Camerarium *cent. 3. meditat. histor. cap.7 in princ. pag.* 21.) in turpi fuga, turpi quoque interitu pœnas dederunt perfidiosi consilii stolidæque audaciæ, nimirum cœno in paludibus suffocati: Hunniades autem vix evasit, singulari tamen Dei voluntate, ut ab Ungaria Turcæ ulteriorem conatum reprimeret, eventu id indicante: pars copiarum, cui belli fortuna pepercerat, fugá quidem ex hostium manibus erepta est, sed partim paludibus ac lacubus absorbta, partim fame, frigore, vigiliis enecta, in sylvis miserabiliter interiit: denique ipse

ipse Julianus, hujus rei præcipuus & ferè unicus author, nudus repertus in via, sed multis vulneribus saucius, judicatus est à suis eum auro onustum putantibus, fuisse jugulatus & vo-
158 lucribus † canibusque (qualem S. scribtura denunciat sepulturam *3. Reg.21.v.23. & 24. cum 4. Reg.9.v.37. Jerem. 8.v.1.2.12. ibique Osiand. in gloss.*) objectus ac relictus. Hæc reperiuntur apud Peucerum *in continuat. Chron. Carion. lib. 5 p.m.*1191. 1192. 1193. *cum pag.* 1208. *& seq.* Wencesl. Hagecium *part.2. Chron. Bohem. p.m. 145. &* 146. Paul. ab Eitzen *lib.2 ethic. cap.*18. *&* 20 Greg. Richterum *ad append. histor. reg.* 167. Joh. Lampadium *in mellef. histor.* *Christoph. Pezeli part.3. cap.8. pag.* 380. ubi ejusdem Cardinalis & Legati Pontificii epitaphium adnectit:

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi,
Discite mortales non temerare fidem,
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

159 Plura † exempla quis proprio studio potest colligere ex Martyrologiis, itemque de persequutoribus Ecclesiæ quædam ex scribtis aliis depromere licet. Ego præmissis contentus & promissis satisfeci, tot dictis & factis Judæorum, Christianorum, Ethnicorum & ipsius Turcæ, sicque per universum fere mundum sparsorum rem confirmans. Unicum & quidem *quadragesimumprimum* in calce placet adnectere, quia nomine caret, de quibus-

dam

dam Scabinis cum suo Judice seu præside Militem quemdam damnantibus & ejus provocationem flocci pendentibus, apud Gregoriũ Strigenitium, Superintendentem Mysnensem & Adsessorem consistorii Saxonici, dum ita scribit: Treiben doch jenne Richter vnd Schöppen auch (vom Jüngsten vnd gerechten gerichte Gottes) das gespötte darauß / da sie der Landsknecht / welchen sie fälschlich zum todte verdammeten / für daß Jüngste gericht ins thall Josaphat lude / aber eh ein jahr vmbkam / gingen jhr etliche schrecklich dahin / einer ward vom donner erschlagen / der ander in einer zeche erstochen / der dritte gehenckt / der vierdte schwerlich kranck vñ da er sterben solte / sagte er: Was seumest vnd verzeuhestu Satan / meine seele hinweg zuführen? dir habe ich trewlich biß hero gedienet / derhalben bin ich auch dahin / Ach! daß ich soll mit dem Landsknecht im Thall Josaphat für Gericht stehen / wie gern wolte ich deß vberhoben sein / den da wird ein schrecklich vrtheil vber vnd wieder mich gestellet vnd gefellet werden. *Strigenit. in postil. Euang. super Dominic. 26. post. Trenit. Matth. 25. conc. 1. puncto 3. pag.* 1008. Utinam hoc omnes judices observarent, & cuncti milites hodierni tam bonam causam foverẽt! Sanè melius tunc consultum esset rebus publicis ac privatis. Quod ut eò rectius quilibet suo loco intelligat; restat † modus ac meta, 160
quando nempe hæc provocatio ad judicium

Dei seu vallem Josaphat inter Christianos lici-
ta, & quomodo in casibus prohibitis elidenda
sit h. e. an & quatenus illa adpellatio valeat?
quod exponere Simonem Majolum (cujus
verba mox pœnam) refert prædicto loco Chr.
Besoldus, nempe *in thesau. pract. observ. verb.*
ins thall Josaphat laden *pag. 442.* seque remittit
ad *tract. suum de appellat. & tr. de pœnis pag. 131.*
Ac sanè reperiuntur nonnulli ex Jureconsul-
tis, qui existimant hanc subtilem superstitioné,
161 illosque † puniendos esse, & quidem pœnâ ar-
bitrariâ, si qui numinis superstitione (velut ali-
bi dicitur, multos metu numinis divini per-
quam timidos esse in jurando, usque ad super-
stitionem: seu eos teneri subtili quadam re-
verentia etiam in bona causa *L. qua sub 8. post*
princ. D. de condit. instit. l. cum quidam 21. circa
fin. C. de fide instrum. Dn. Parens Ant. Hering.
JC. d. tr. de fidejus. cap. 5. nu. 8.) tenétur teste Ca-
merario *d. cent. 3. cap. 38. in princ. pag. 138.* Rich-
tero *d. axiom. histor. reg. 299. pag. 508.* Sed intel-
ligendi sunt illi, vel de ad abusum verso more,
162 dum † privati homines se gravatos putantes,
statim ad ejusmodi adpellationem prosiliunt.
Deinque tentāt & promiscuè schedulas pro-
vocationum ad judicium divinum parti inimi-
cæ transmittunt, ceu olim factitatum esse col-
ligitur ex sequentibus authoribus, qui simul
docent, quemdam nomine Carlesam (qui eo
genere adpellationis in vallē Josaphat voluit

tec-

terrere magistratum) Mediolani A. D. 1555. die 10. April. ad catenam infamem, & alium Thæmum Mantellum (qui transmiserat quoddam præceptum, sub nomine Domini nostri Jesu Christ) A. D. 1556. die 10. Septemb. ad renunciationem & fustigationem fuisse damnatos. Jac. Menochius *de arbit. judic. quæst. lib. 2. cent. 4. casu 388. nu. 16. & 17.* Jul. Clarus *lib. 5. sentent. § fin. quæst. 83. nu. 7.* Cunrad. Lancilottus *tr. de offic. prætor. in civil. cap. de libello nu. 10. pag. 55.* Herold. *d. dissert. pag. 20.* † vel exaudien- 163
dos fore contrarium statuentes de causis civilibus & non criminalibus, in quibus hujusmodi evocationem citius admittit & à taxatione ista liberat Vent. de Valentiis *d. lib. 1. par. benelicig. cap. 1. nu. 38. pag. 17. in fin.* vel denique † id 164
circa alios abusus infinitos locum habere, est verisimile, & dicunt contrariæ receptiorisque sententiæ authores. In hoc enim provocationis casu decet quemlibet valdè esse cautum; prout quoque in altero, quando in testamentis suis omnia vera esse dicunt sub amissione salutis animæ, Nehmen es auf ihre letzte hinfarth / Item wollen drauf leben und sterben / auch am Jüngsten Gericht dazu antworten / ut monuit dilectissimus parens, ante viginti annos placidè in Christo mortuus, Dn. Ant. Heringius JC. *tract. de fidejussor. cap. 20. § 1. nu. 79. 80. 81. 82.* Hinc non modò ex theologis Theodorus Beza in summa novi testamenti ex *Actis*

apost. cap. 23. notat Christianis licere de injuriis queri, & impios ad Dei tribunal citare, modò id sine odio ac sedato cum animo fiat: Sed etiam hoc sequitur Richterus & ante ipsum ex numero Jurisconsultorum Camerarius addit, idem hisce multis memorabilibus historiis & exemplis confirmati, præterque illos Nudermannus ait, si hoc in tuitu (velut ab ipso declaratum *sup. num. 69. & 70.*) fiat citatio ad judicium Dei & in vallem Josaphat, quod nō possit dici superstitiosa, quàm si Dei præsentiam ubique præsentem & auxilium ad certum aliquem locum & tempus superstitiosè alligemus, *d. differt. de jure principat. concl. 51. in fin.*
165 Heroldus autem † præsens negotium ita concludit: Ex his videmus divinam vindictam nō provocationis, nec nostræ vocis egere, sed si rectè calculum ponamus, justitiam semper apud Deum, justitium verò nunquam esse. Urgeant tamen alii cum Del-Rione: Annon licita erit provocatio, si quis per injustitiam obpressus, hoc faciat, vel uti innocentia ejus adpareat, nec infamiâ graveturr familia, aut ut mundus tali Tyranno liberetur, hicque resipiscat & terrore percussus pœniteat desinatque ab obpressione & concussione miserorum? Sanè, sanè si citra odium aut vindictæ cupiditatē vel inpatientiam, superstitionem, iram & desperationem vel aliam passionem vitiosam, Deo causam nostram commendemus, ipsique

vin-

vindictam tribuamus, & pio animo hosti fu-
turam pœnam denunciemus, ut pœnitentiam
agat, licitè id egerimus. Ita ille; qui deinde
pluribus edisserit, quid in his necessitatibus
extremis, conclamatis omninò rebus, unicui
quo † Christianum nomen professo optimum 166
ac tutissimum factu sit? nempe in hisce debe-
re pietatem, patientiam & misericordiam ad
exemplum salvatoris nostri Jesu Christi inter-
venire, notq; per eas virtutes omnes injurias
damna & pericula superare ac Deo totam cau-
sam committere. *Herold. d. dissert. pag. 24. usque
ad pag.* 31, confer Johannis Arndii Christia-
nismum *lib. 1. cap. 24. 25. 26. 27. 28. 29. cum lib.
2. cap. 14. 15. 37. 44. 46. 47. 56.* Placet quoque au-
dire † Simonem Majolum, Episcopum Vultu- 167
rariensem, qui de hoc negotio sic scribit: Sæpe
fit, ut qui se injuria adfici ab aliis putant, nec
hominum præsidium vel auxilium superesse
cernunt, ad Deum confugiant; non quidem
malis ut illos expiat, sed ut sumtâ de persequu-
toribus ultione, tali indignos supplices injuria
fuisse cunctis faciat manifestum. Quoad talem
citantem & quiritantem, dico primò, si citra
odium, aut vindictæ cupiditatem, vel impatiē-
tiam, iram, desperationem, vanitatem, aut a-
liam vitiosam adfectionem per injustitiam
oppressus quis, hoc faciat, bono fine (e.g. ut
innocentia ejus adpareat, nec infamiâ gravetur
familia; aut liberetur mundus tali tyranno; aut

ut resipiscat & terrore perculsus pœniteat, desinatque ab oppressione & concussione miserorum) licita est talis citatio, nec desunt exempla sanctorum hominum. Periculosum attamen est viris fœminisque non compertæ sanctitatis has citationes imitari. Nam facile fallit amor proprius & persuadet nos injuriam perpessos, cum non simus: facile etiam latens aliqua gloriolæ, vel vindictæ, vel alterius perturbationis animi nebula se immiscet, ut veritatem ac justitiam non videamus. Quoad eos verò qui citantur, existimo duas regulas posse
168 statui. Prima est, si constet eos juste † judicasse, nec ullum esse dubium de sententiæ aut facti, propter quod citantur, æquitate, tunc posse hujusmodi citationem ab illis contemni. Ratio est, quia justo judici præmium à Deo, cujus vicem fungitur, non supplicium est exspectandum. Altera regula sit, quando judex aliquam animi perturbationem sensit, quæ ad damnandum, vel movit omninò, vel ad citius damnandum movit, vel etiam non usque adeò certa est sententiæ justitia; ut non supersit probabilis contrarii metus: tunc male facit judex, si contemnit hujusmodi citationem; rectè faciet, si diligentius iterum omnia momenta, & quæcunque ad veri indagationem pertinent, examinet ac perpendat, & reum interim in custodia servet, ut vel retractetur prior sententia, vel maturiore consilio confirmetur. Probatur hæc con-

conclusio, tum quia judices non possunt nimis circumspectè procedere in re tanti momenti, cum non hominis, sed Dei judicium administrent; tum quia videbantur nocentes ex allegatis & probatis, eos tempus postmodum sæpe docet fuisse prorsus innoxios, qua de re exempla ad manum sunt non pauca, nec obscura; tum denique quia sæpissimè accidit tales citationes non esse irritas. Hactenus inter cætera Majolus *d. tom. 2. dier. canicul. colloq. 2. fol. 524.* quibuscum confer Joh. Grævii tradita *in tribunali reformato de damnata tortura.* Quæ ut fiant clariora subjungo & has observationes, quod † quatuor modis illa provocatio & 169
adtestatio ab oppressis fieri posse videatur 1. per καύχησιν, quatenus sciunt mortem suam esse charam in oculis Dei, & de ipsius judicio futuro gloriantur. Id habet necessariam exceptionem resipiscentiæ. 2. per Ἀρὰν sive inprecationem, quæ non admodum vituperanda est, si cum conditione fiat aut saltem cū spiritu discretionis, ne pro inpœnitentibus aut hostibus Dei habeantur, qui magis cupiditate quadam & infirmitate quàm malitia pervicaci peccant, atque adeò emendabiles sunt. Minus tamen periculosum est, omnem ἀρὰν aut εὐχὴν κατὰ τῶν θλιβόντων omittere. Et in eo est exercitium patientiæ ac charitatis. Contingit, ut Deus eorum, qui opprimuntur suspiria & desideria exaudiat; ideò tamen culpa inpatié-

tiæ & deficientis charitatis ipsi non vacent. Petunt enim *δίκαια μὲν, καλῶς δ' οὔ*, ceu inquit Euripides *in Oreste*. 3. per Denunciationem, quæ sit vel *νουθετικὴ* (quod sanè neutiquam est culpandum) vel *προφητικὴ* (is 4us modus) ubi quis ex instinctu divino hostibus judicium Dei adnunciat. Si absit præsumtio & *ἐπιχαιρεκακία*, nulla & in illo genere est labes. Si quis
170 verò † hos recensitos modos & media nō observaverit, mirum quoque esse nequit, effectū provocationis deficere. Id quod omnes non modò Christiani ab adversariis petiti: sed inprimis boni judices notent, quibus hæ cautelæ præ cæteris inserviunt. Quicunque enim de alicujus vita aut fama per justam jure & legibus firmatam satis statuentes sententiam, nihilominus à contumacibus ad Divinum evocantur judicium, siquidem justè se judicasse nulli dubitent, & id in propatulo sit, nec ullum dubium restet, aut de sententiæ æquitate aut veritate facti innocenti & constanti animo citationem & devotiones quascunque securè possunt contemnere, juxta *Psal.* 109. Imò †
171 præmium, non pœna, administratæ justitiæ gratiâ insuper ipsis à Deo est exspectandū, cum Deo nulla gratior victima, quàm homo nocēs possit inmolari, secundum *Senecam*, & ut in casu homicidii dictum à me *in discur. de Homicidii gravitate num.* 28. *ibique in append. num.* 55.
172 *& 66.* Eam ob causam † Gundizalvus Ferdinan-

nandus de Corduba (ut in vita ejus est apud Paulum Jovium *in vita Gonsal.* Sim. Majolum *d. tom. 2. colloq. 2. fol. 524.* & Heroldum *d. dissert. pag. 26. & 27.*) imperator militum, cum Tarentum obsidens maleficum quemdam, seditiosumque militem ad supplicium duci jussisset, illeque violentum reluctatus, iniquissimè se damnari vociferaretur & proinde Gunzalvū ad dicendam causam ad Dei maximi tribunal magnâ voce citaret: Vade (inquit provocatus) festinaque consilus optimo Judici, & causam instrue; nam ibi pro me aderit, qui oportune respondeat Alfonsus frater, qui nuper ex Serra Vermegiā in cœlum contendit. Tum enim Gunzalvo nunciatum fuerat, fratrem à Mauris circumventum dignam forti pioque duce mortem obpetiisse. Sic ille meritò nebulonem injuste provocantem contemsit. *Sic quoque* justi judices omnes masculè & confidenter, superstitiosos vel temerarios & Jehovam tentantes quoscunque spernere possunt.

Ergo † Monarchae maximi Urbis atq; Orbis, 173
Vos Principes, vos Judices; mementote
Hinc Josaphati vallis, & Tribunalis
Quod nemo declinare, nemo subterfugere habet Δικαίως τὰς κρίσεις δικάζοντες,
Injuriam facitote proximo nulli:
Sit ἀπροσωπόληπτος ἡ Δίκη vestra.
A valle nil metuetis aut tribunali
Illo tremendo, ut Urbis & Orbis illustres

Mini-

Minitetur extremam ruinam, & in crudam
Chaos redire; nil timebitis, Reges,
Nil Principes, nil Judices, Monarchæque;

Ceu, in gratiam authoris Dn. Georgius Remus amicus quondam noster (quamdiu vivebat) optimus, hosce versiculos subjecit apud Heroldum *d. dissert. pag.* 32. Omnes autem † tyran-
174 ni ac persequutores inde singularem capiant doctrinam; at pii solatium, quos seculum revolutum infinitis iterum modis quoad corpus, animam & bona torquet. Audiamus primò Æneam Sylvium, postea Pontificem factū & Pium II. dictum, qui de præsenti materia, licet non eodem animo sic loquitur: *Lusoria jam*
175 † *Ecclesia est, qualem de pila fieri videmus, dum huc atque illuc impellitur, lusorum ictibus percussa. Sed aspicit illa ex alto Deus. Et quamvis rarò in terris expendere homines digna supplicia coget, nullum tamen in supremo ejus judicio malum impunitum relinquitur. Liberum arbitrium nobis dedit* (sano autem sensu, de quo theologi plenius & adcuratius agunt) *vivere nos, ut libet, sinit; laxas dimisit mortalibus habenas, rationem tamen rerum omnium dum judicabit exacturus est; tumque videbunt Principes, an propter eos regna fuerint instituta, an ipsi propter regna, qui suis omnia libidinibus servire volunt.* Ita Sylvius epist. 50. Sed consolationem hanc nullibi me-
176 lius, quam ex SS. pandectis & † B. Lutheri (qui obscuratæ tamdiu religionis restaurator fe-

tissi-

tissimus exstitit; ita ut gravissimus Zasius tunc *in AntiEckio num. 22. §. quæ tamen non ideò &c.* Lutherum vocaverit doctissimum & vitæ integritate præstantissimum virum, ac veteris i. e. veræ theologiæ in plerisque non pœnitendũ assertorem, referente Georg. Mundio à Rodach *in noviss. tract. de diffamat. cap. 7. num. 61. pag.* 401.) scribtis desumere possumus, quando in explicatione istius Joëlis & vallis Josaphaticæ post Munsterum *sup. n.* 53. & 54. de Ecclesiæ statu & vario hominum sensu, diversoque rerum eventu ita loquitur: *Pœnitentia et oratio* † 77
sunt certum Asylum, ad quod si confugimus, etiam in mediis periculis servamur. Hodie Ecclesia variè periclitatur, Impii Mahumetistæ magno successu contra nos pugnant, nec minus nobis à Pontifice & ejus complicibus periculum ostenditur. Hoc enim magno conatu post multas et varias insidias agunt, ut armentur Reges & Principes contra miseras nostras Ecclesias, quæ idololatriam Pontificiam abjecerunt & Evangelii sanam doctrinam amplexæ sunt. In his malis, quæ aut Ecclesiis utilior doctrina, aut consolatio uberior proponi potest, quam hæc Joelis concio? Diligentissimè quippe hortatur suum populum ad pœnitentiam: præscribit formam, qua in tantis periculis ad Deum orantes utamur: addit consolationes insignes de misericordia Dei & ineffabili patientia seu longanimitate. Sic Lutherus *in præf. super Joël. tom. 4. oper. latin. Jenen. pag.* 705. Addens deinde in ipso commentario pergit:

178 git: Propheta† *Tempus Belli appellat Diem Domi-*
ni & impium Hostem populi Dei vocat Exercitũ
Dei. Incredulus mundus planè securus peccatis in-
dulgit & iram Dei adcumulat, sicut hodie experi-
mur mediis in turbis. Imminentibus enim tot ma-
lis, saeviente Turca, diffidentibus principibus, Ponti-
fice conspirante cum suis in exitium nostrum, quae
vitia non admittuntur apud summos et infimos?
Ad pios igitur haec cura pertinet, ne mundi diem
sequantur, sed in timore vivant certi, futurum ut
dies domini veniat, quo impiorum peccata visita-
buntur. Qui hoc faciunt hos aut eximet per
mortem Dominus futuris calamitatibus, sicut de
Josia dicit Scriptura, aut in ipsa calamitate consola-
bitur ac teget, sicut Danielem apud Babylonios etc.
179 *Hodie iniquũ videtur, tot † victoriis ornari Chri-*
sti & Ecclesiae hostes, crudeles tyrannos & scelera-
tos idololatras: Nos autem qui nomen Christo de-
dimus et ad consortium coelestis regni per baptismũ
vocati sumus, misere premi & affligi. Sed meruê-
runt has poenas peccata nostra convincique eveni-
tur, non ut de religione nostra, dubitemus, verane
sit an non, sed ut humiliemur & placeamus Deum,
sic peccatis nostris offensum, ut differre poenas am-
plius non potuerit. Ita in comment. super Joel.
cap. 2. d, tom. 4. pag. 772. quae postea diffundit,
hisce verbis praegnantioribus: *Haec generalis*
180 *sententia habet pulchram † imaginem Ecclesiae &*
ejus Hostium omnibus temporibus. Illa enim cum
his comparata est pauper, exigua contempta &
sub-

subjecta cruci miserè exercetur tantum non oppressa ab hostibus, sed illi cum mundo habent opes & dignitatem, ac quia potentia suffulti est, ornatur praeclaris victoriis. Hanc dissimilem fortunam sequuntur etiam dissimiles effectus utriusque. Mundus enim securus est & triumphat, nihil moderatum cogitans aut faciens, ebriis similis: ecclesia autem pressa gemit, pugnat ferè cum desperatione & lacrimatur &c. Ratio quidem humana existimat istos magnificos in rebus successus esse firmamentum tyrannidis: at Propheta hic diversum judicat & statuit, quanto † evehantur altius tanto 181
& gravius & citius collapsuros. Confirmatur autem haec penè incredibilis sententia quotidiana experientia. Vide Pharaonem in Ægypto, Sanheribam ad Hierusalem temporibus Hiskiae, Belsazer apud Babylonios, nonne tum, cum potentia maxima & victoria certissima est, concidunt? Diversum autem de Ecclesia fit, ibi cum nihil sit, nisi pericula, gemitus, suspiria, lacrymae, ac desperationi ideò vicina sit, tamen certa ei parta est victoria. Quomodò aut cur? Nullâ aliâ ratione, quam cum hostes Ecclesiae se magnificant, Dominus quoque vult seipsum magnificare ac facit id cum ruina istorum, qui successibus inflati sunt. Ecclesia igitur de se desperans, benè speret de Domino, qui postquam hostes ecclesiae magnificati sunt ipse quoque magnificabitur. Eadem consolatio ad privatorum pericula est transferenda, magisque conspicua in universo corpore existit. Ecclesia sine dubio † hodie a 182
pud

pud nos est, ubi doctrina Evangelii sana & administratio Sacramentorum legitima et pura est. Habet autem suos hostes, quos impellit Satan. Hi ad tempus felices sunt & florent; nos autem involvimur periculis, trepidamus & pene desperamus. Hæc nos non dejiciant. Verum enim certum & indubitatum est, Deum Ecclesiæ suæ Hostes perfundaturum. Gradus autem hi sunt, quos propheta

183 *a hoc loco ostendit, ut † primum magnificentur Hostes (eo enim pervenire eos Deus sinit) postea magnificatur quoque Dominus. Hanc igitur spem retinentes oremus contra hostes ecclesiæ, & quia videmus, quod magnificantur, speremus futurum, ut magnificetur quoque Deus noster, & terra non amplius lugeat sed lætetur, si pœnitentiam egerimus, quæ doctrina utilis ac necessaria est nostris temporibus. Nam quæ mala Germaniæ in tanto Satanæ furore non impendeant solum, sed eam miserè jam oppresserint penè, notum est. Unica autem effugiendi judicii Dei via est, ut Paulus ait, si nos judicemus h.e. si non pergamus securi in peccatis: sed discedentes à vitiis attendamus verbo, sanctè vivamus & incumbamus in orationem.* Hucusque contracta Lutheri verba *d. commen. ad cap. 2. Joel. pag. 780. B. & 781. A, juncto cap. 3. pag. 794. A.* ubi idem argumentum tangit. Sed facere non possum, quin pulcherrima ipsius dicta ulterius adjiciam, & piis pro solatio, impiis autem ad terrorem inferam. Sic igitur pergit alibi: *Propheta duo complectitur. Primò ostendit, quanto fu-*

to furore † mundus se opponat evangelio. Deinde 84
eventum docet, quod consilia mundi ac Satanæ frustra sint. Nec opus est accersere vetustatis exempla, quibus periculis populum Dei semper involverit. Quæ consilia ad novi testamenti Ecclesiam labefactandam in ultima Monarchia tentarit præsentis temporis indicamus. Quid enim nunc totos annos octo & viginti non tentarint Pontifices contra Evangelii doctrinam? Quid Episcopi, quid Monachi, quid Scholæ (quid inprimis Jesuitæ) quid denique Reges & Principes? Pii doctores & sancti verbi confessores passim exuti bonis, proscripti, occisi sunt, libri concremati, conciones interdictæ, testamentum Christi violatum & cœnæ sacræ usus perversus, imperatæ aliæ impiæ cærimoniæ, quæ ad quæstum faciunt, editæ denique horribiles sententiæ contra doctrinam nostram. His modis cum tantum apud suos impedirent Evangelii cursum, tandem etiam de nostris Ecclesiis per arma opprimendis consilia inita sunt: adeò ut etiam qui ad bellum inepti sunt, tamen belligerentur, sicut hodiè molle & effeminatum Episcoporum, Canonicorũ & Monachorum vulgus, non solum bellum exoptat: sed castra etiam sequitur. Verum quâ fortunâ & quo eventu? Hoc propheta ostendit ibi: Dominus sternet fortes suos. Nam † qui in cœ- 85
lo est, non quidem statim punit hunc furorem impiorum, sed sinit eos aliquamdiu procedere & felices esse, & tamen ridet stulta et irrita molimina. Psalm. 2. Quid enim est quod homo Dei consilium

cona-

conatur impedire aut evertere: qui in cœlis est &
uno nutu totum mundum concutit. Sed non ridet
perpetuò, loquitur etiam in furore suo, h. e. retundit
impios & non solum consilia ipsorum turbat, sed pe-
nitus etiam perdit eos. Hunc finem Propheta Joël
186 hic quoque ostendit. Sed quia nos tantum in † præ-
sentia intenti sumus, futuros autem eventus non
ex verbo sed ex nostro sensu æstimamus, ideo trepi-
dat caro, & aut dubitat de successu aut metu futu-
ri mali prorsus dejicitur. Respiciendum igitur in
verbum est, & ob oculos perpetuo habenda præteri-
torum seculorum exempla; quæ omnia unâ quasi
voce testantur, & furere mundum contra verbum,
& tamen concidere tandem in mediis conatibus,
verbum autem Domini manere in æternum. Ideo
inquit: Venite omnes gentes, ex omnibus ter-
ræ partibus congregamini. Hic enim sternet
Deus fortes suos. Ubi præcipuè hebraicum ver-
187 bum (Gibborim) observabis. Nam † hostes Evan-
gelii non sunt contempti, imbecilles & pauperes, for-
tes sunt. Ideò Ecclesia destituta carnalibus præ-
sidiis in periculo est ac pavet. Nos hodie non parum
movemur adversariorum opibus, potentiâ, inge-
niis, usu armorum & agnoscimus nos neutiquam
eis esse pares. Sed cur movemur? nonne carnalia
hæc sunt? Nos autem, qui patrem habemus in
cœlis, cujus nomen et gloria periclitatur, num car-
nalibus & terrenis præsidiis nitemur? Hoc illi fa-
ciunt, qui nesciunt Deum & persequuntur ver-
bum. Quis enim illos miretur venire in curribus
& e-

& equis? Nulla quippe habent & norunt alia † 188
præsidia. *Nos autem qui habemus Deum, faciamus opus vocationis pro nostra mediocritate & speremus in nomine Domini, cujus hoc opus, hecque ejus virium est, non cupit inbelles adversarios, fortes vult dejicere. hi quanto de victoria sunt certiores, tanto facilius periculum incurrunt.* Tam animosè megalander ille in medium consulit *d. comment. ad Joël. cap. 3. tom. 4. oper. latin. Jenen. pag. 796. B. & 797. A.* tandemque post ad finem explicationem, totum negotium precatione concludit, hisce nimirum verbis: *Variè hoc tempore quassata est Ecclesia, nec dum cessant insidiarum varia pericula. Præbemus autem multa de nobis metus & desperationis indicia. Sed cur non colligimus nos & subjicimus nobis non solum indubitata scripturæ testimonia, sed etiam notissima omnium ætatum exempla? Quis omnium Regum mundi non dedit pœnas attentatæ persecutionis? Quis unquam † feliciter pro idololatria de-* 189
pugnavit? Nonne qui felicissime administrarunt imperia initio, statim cum Ecclesias affligere cœperunt, horribilibus periculis & calamitatibus incredibilibus excepti sunt? Non igitur hostium potentia, non nostra imbecillitate & paucitate terreamur: causam ipsam intueamur retineamusque confessionem filii Dei, nec manus nostras innocenti sanguine contaminemus, quo adversarii sunt polluti. Conjungamus potius vota ac † preces hisce 190
miseris temporibus effundemus: O æterne pater

Domini & liberatoris nostri Jesu Christi, sentimus, quam sit Ecclesiæ in hac vita sit fortuna, & quàm exerceatur variè à Satana & Mundo. Rogamus igitur te per hunc unigenitum Filium tuum ut primum spiritu tuo sancto nostros confirmet animos, ne tot periculis succumbamus: deinde ut hostium conatus non solum impedias, sed fido & mirando auxilio tuo toti mundo declares, Ecclesiam tuam tibi esse curæ, eamque regas, tuearis & salves, qui vivis, et regnas, æternus Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus in secula seculorum Amen. Ita finit Lutherus *d. comment. pag.* 804. *B.* & similia suggerit Tarnovius *in d. comment. super eundem Joel. cap. 3. pag.* 144. *cum seqq.* Utinam turbatores utriusque pacis, tam religiosæ quàm prophanæ, virique sanguinarii nunc melius
191 hæc considerarent & † Deum pios velut pupillam oculi sui servare, omniaque eorum suspiria, nedum clamores exaudire perpenderent, necnon Jehovam esse Dominum exercituum, qui Regum ac Principum corda in manu sua tenere, imò imperia tam dare quàm adimere possit, etsi non verbis, attamen reipsâ negare tandem cessarent, perque cruenta sua consilia negotium confessionis utriusque difficilius reddere intermitterent! Quippe
192 † libertas religionis optimum concordiæ temperamentum est, adstipulante Bonfinio *dec.* 3. *lib. 4. rer. Bohem.* & ad societatis humanæ moderationem præstantissimum existit medium,

[illegible]

ut Constantinus Magnus Imp. fatetur, quem
omnes tam superiores quàm inferiores magi-
stratus meritò sibi ad imitandum proponunt,
quando is hôc modo ad Deum orat: *Populum
tuum pacem colere, & a seditione liberum va-
cuumque esse pro communi totius orbis & cuncto-
rum hominum emolumento exopto. Qui autem
errore ducuntur, parem cum fidelibus pacis &
tranquillitatis oblectationem læto animo capiant.
Ipsa enim recta communitatis & societatis huma-
næ † moderatio, ad illos in rectam viam deducen-* 193
*dos valebit plurimum; nemo alteri exhibeat mo-
lestiam, quod cujusque animus vult, hoc quisque
transigat.* Et alibi inquit: *Quod quisque sibi
persuadeat, satis probum & spectatum esse, in hoc
alteri non sit offensioni. Imo verò † quodcunque* 194
*alter vel norit, vel intellexerit ille quidem proxi-
mum, si fieri potest, juvet. Si fieri non potest, mis-
sum faciat. Aliud est enim certamen pro immor-
talitate sponte suscipere, aliud supplicii metu cogi.*
Hæc de illo refert Eusebius *lib. 2. de vita Const.
Mag. cap. 55. juncto cap. 59.*

Quam moderationem cùm plures principum
antiquorum adhibuerint, inducentibus Hier.
Sitturo *in compend. polit. ad Lipsii libel. de
una relig. nu. 52. 53. 54. pag. 19. &* 20 Theod.
Berenico i. e. Matth. a Berneggero *in tuba pa-
cis contra Sciopp. pag.* 147. ac Euangelici ad-
huc unice exoptent, videant Catholici, quâ
ratione nos non tantùm pro Hæreticis cane &

angue, imò Turcis & Judæis pejoribus habeant: Sed etiam infinitis insuper modis in nos sæviant; quisve illorum magis Deo quod Dei est, tribuat, & Cæsari, quæ ipsius sunt? *Matth.*
195 *22 v. 21.* Euangelicus sanè † ad normam veterum Christianorum etiam sub Tyrannis & Ethnicis miserè degentium, nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens, à Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit, cum toto Romano Imperio, quousque seculum stabit. Colimus ergò & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo consequutum & solo Deo minorem, verba sunt primi inter latinos Ecclesiæ patres Tertulliani *ad Scapul. apud* Joh. Frid. Matenesium Prof. ss. Colon. *in sceptro reg. & imp. domus Austriacæ cap. 5. pag. 87.* Phil. Camerarium *cent. 3. medit. histor. cap. 4. pag. 14.* alibi ex eodem Patre
196 sic Christianos defendit: Nos † pro salute Imperatoris Deum vocamus æternum, verum ac vivum, quem & ipse Imperator propitium sibi præ cæteris mavult; eidem precamur vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populū probum & orbem quietum. *Tertul. apud Camerar. cent. 1. cap. 39. pag. 177.* Cur ergò nostra scribta quibus meruerunt dari; cur inhuma-
197 niter † conventicula dirui? in quibus summus

ora-

citatur Deus, pax cunctis & venia postulatur,
magistratibus, exercitibus, familiaribus, inimi-
cis, adhuc vitam degentibus & resolutis cor-
porum junctionibus? in quibus aliud auditur
nihil, nisi quod humanos faciat, nisi quod mi-
tes, verecundos, pudicos, castos, familiares,
communicatores rei cum omnibus, quos soli-
det germanitatis necessitudine copulatio. Ve-
rum ita se res habet, ut quoniam plurimum
gladii, & potestate valetis ferri, anteire vos eti-
iam veritatis scientia judicetis; ut verba Ar-
nobii, contra gentes usurpata, huc transferam,
ex eodem Camerario *d. cap. 30. & pag.* 177. Ab-
jicite igitur Vaticanum & plusquam Vatinia-
num istud odium; aliàs ne quidem digni estis
leniori adloquutione † Jacobi VI. Britannia- 198
rum moderatoris, qui doctissimus eo seculo
regum & defensor fidei cum majoribus dictus,
ita inquit: Romanam Ecclesiam agnosco qui-
dem Ecclesiarum matrem (plerique autem
huc potius referunt dictum Johannis, qui ma-
gnam urbem Antichristi Babylonem vocat
Matrem, sed fornicationum & abominationũ,
è cujus cœtu vel gremio abeundum sit populo
Christiano, ne particeps malorum ac pœnarũ
fiat, *Apocalyp. cap. 17. v. 5. juncto cap. 18. v. 4. & 7.*
prolixè Lutherus *passim in operib.* Mornæus *in
myster. iniquit. seu histor. pap.* Mylius in den
Pabstpredigten & Phil. Nicolai *in histor. de reg.
Christ.*) erroribus tamen & corruptelis crassis-

simis inquinatam; quales erant Judæi, cum Christum caput nostrum crucifigerent. Et quemadmodum ægrotantis vitæ infestus non est, qui cacochymiam jubet expurgari; ita nec Romanæ ecclesiæ, quam Catholicam vocatis, ego hostis sum, cum volo ejurari errores tam densissimos. Nolo templum destrui: sed sordes everti. Nam quâ fronte jubetis nos ingredi, si domum vestram nolueritis prius mundari? Sic iste rex *in oration. fol. 490. oper. regg.* Sin surdis auribus hæc narrata fuerint, videbitis tandem, qualem exitum habituræ sint vestræ cruentæ machinationes, tam in hoc
199 quàm futuro † seculo & judicio, hactenus abundè descripto, postque alios sermoni de Valle Josaphat præmisso à laudato Ventura de Valentiis *d. lib. 1. parthen. litig. cap. 1. nu. 37. pag. 17.* hisce antiquorum rythmis illud depingente; cui adjungendi sunt Herm. Latherus *tr. de Censu lib. 3. cap. 25. nu. 168. 169. 170.* Greg. Strigenitius *d. postil. super Dominic. 26. post Trinit. conc. 1. punct. 3 fol. 1007. & seq.*

Judicabit judices Judex Generalis,
Ibi nihil proderit dignitas Papalis,
Sive sit Episcopus, sive Cardinalis;
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis?
Ibi nihil proderit quidquam Allegare,
Neque quid Excipere, neque Replicare,
Neque ad Apostolicam sedem Appellare,
Neque codicellos Cæsaris citare;

Reus

Reus condemnabitur, nec dicetur quare:
Cogitate miseri, quid & quales estis,
Quid in hoc judicio dicere potestis,
Hic non erit Codici locus, nec Digestis,
Nec Decretalibus Papæ aut Regestis;
Idem erit Dominus, Judex, Actor, Testis.

Idcircò quilibet † peccator tremendū & brevi 200
adfuturum hoc judicium quotidiè sibi ob oculos ponat (sicut enim littus est terminus navigantium; ita idem tribunal est terminus ac finis omnium in hôc seculo fluctuantium, inquit Carolus IV. Imp. *in sua vita per Rein. Reiner. edita pag 32.*) seque toties citatum ad illud credat, quoties delinquit, cum Laurentio Medice, S. Eucharistiam sumente, exclamans: *Tune, mitissime Jesu, tu nequissimum hunc servū tuum dignaris invisere? At quid dixi servum, imò verò hostem potius & quidem ingratissimum, qui tantis abs te cumulatus beneficiis, nec tibi dicto unquam audiens fuerim, & tuam toties majestatem læserim. Quæso ego te per illam, quâ genus omne hominum complecteris, charitatem; quæque te cœlitus ad nos in terram deduxit, nostraq; humanitatis indutu involueris; quæ famem, quæ sitim; quæ frigus, æstum, labores, contumelias, flagella & verbera; quæ postremò etiam mortem crucemque subire compulit. Per hanc ego charitatem te salutifer quæso, obtestorque avertas faciem à peccatis meis, ut cum ante Tribunal tuum constitero, quò me jamdudum citari planè sentio, non mea frau-*

non culpa plectatur, sed tuae crucis meritis condonetur. Valeat, valeat in causa mea sanguis ille tuus Jesu pretiosissimus, quem pro asserendis in libertatem hominibus, in ara illa sublimi nostrae redemtionis effudisti. Ita ille apud Politianum, ex quo id retulit Valerius Herbergerus *in sua postilla Cardiophlistica, Germ.* Hertzpostilla *super Domin. Palmar. fol. 355. in fin. cum fol. seq. in princ.*

Joh. 16. v. 24. cum Apoc. 1. v. 8.

Petite, & accipietis, inquit Dominus: qui est principium &

FINIS.

